



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. An ens transcendat non tan um realiter, sed etiam ratione
prædicata omnia etiam differentialia inferiorum suorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

LIBER QUINTVS.

De transcendentia, & uniuocatione entis incorporei præcisue sumpti, siue entis ut sic.

TRACTATVS I.

An ens transcendat non tantum realiter, sed etiam ratione prædicata omnia etiam differentialia inferiorum suorum?

CAPVT I.

Quid sentiant communiter Auctores?

ROSTQVAM entis inferiora, & opposita duobus libris præcedentibus discussimus, proximum est, ut eius respectu illorum transcendentiam, & uniuocationem, ac uniuocationi contrariam analogiam aggrediamur. Ens ergo transcendere non tantum realiter (quod in dubitatum est) sed etiam ratione prædicata omnia etiam differentialia inferiorum suorum, tueretur Caietanus opuscul. de ente, & essentia cap. 1. quæst. 2. Soncinas 4. metaphys. quæstione 2. & 3. Flandria 4. metaphys. quæstione 2. articulo 6. Hispalensis in 1. disputatione 3. quæstione 1. Heruæus quodlibeto 2. quæstione 7. Fertara 1. contra gentes cap. 34. Fonseca lib. 4. metaphys. cap. 2. quæstione 2. sectione 4. conclusionem 3. Valquez 1. part. disp. 22. numero sexto, & disputatione 114. numero septimo. Hi omnes adeo certum putant, ens transcendere tam re, quam ratione omnia prædicata positiua cuiuslibet rei usque ad ultimas eius differentias includere, ut illud illatenus abstrahi, aut diuidi ratione à suis inferioribus unanimiter inficiuntur. Ex his etiam, qui abstractionem entis, & eius distinctionem quandam rationis ab inferioribus suis admittunt, non pauci tamen contendunt eius transcendentiam plusquam realem, illudque esto non includat ratione differentias omnes, ab his tamen ratione includi, sic ut sine eo nequaquam possint concipi. Ita Capreolus in primo distinctione secunda, quæstione prima, Sotus in prædicament. capite quarto, quæstione prima, artic. 2. Suarez disputatione 2. metaphys. sectione 6. num. 7. & sequent. Hurradus disputatione 9. Logicæ sect. 4. subsectione 5. & disputatione 2. metaph. sectione 4. Tellez part. 3. summ. disputatione 51. sectione 10. Præterea eandem opinionem sequuntur Ochamus, Gabriel, Gregorius, & reliqui Nominales, cum enim distinctionem omnem rationis de medio tollant, & solam realem admittant, reliquum est, ut ens quod à suis differentiis qualescunque sint realiter distingui negant, cum iis omnino idem arbitrentur. Quod caput est eidem sententiæ fauet D. Thomas quæstione 1. de veritate art. 1. inquit. *Quod primo intellectus concipit, quasi notissimum, & in quod omnes conceptiones resoluit, est ens: unde oportet, quod omnes alia conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens* sed enti nihil potest addi quasi extranea natura, per modum quod differentia additur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum expriment ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Et inferius: *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantia exprimitur, specialis modus essendi. Quod testimonium & alia id genus habes apud Capreolum, eo quem supra retulimus loco.*

ceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens sed enti nihil potest addi quasi extranea natura, per modum quod differentia additur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum expriment ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Et inferius: *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantia exprimitur, specialis modus essendi. Quod testimonium & alia id genus habes apud Capreolum, eo quem supra retulimus loco.*

Contraria sententia negans summam illam transcendentiam entis illudve in omnibus & singulis prædicatis positiuis & realibus, non solum realiter, sed etiam ratione includi suos habet patronos. Nam Scotus in 1. dist. 3. q. 3. docet, modos reales quibus ens contrahitur ad substantiam & accidens, creatorem & creaturam, item differentias ultimas rerum omnium, necnon passiones entis, nempe unum, verum, bonum, hæc inquam omnia distingui ex natura rei ab ente, ac proinde fieri non posse, ut illud ratione includant. Scorum sequuntur citata distinctione & quæst. 3. Licherus: ibidem etiam Hugo Cauellus in scholio, quamvis quod attinet ad differentias entis, subdubitet, & Scotum exponat, de eo sic inquit: *Forè vult tantum non includi ens in his differentiis, ut quid ulterius determinabile, & rationes eius id tantum suadent.* Vltcrius Trombeta, Antonius Andreas, & ceteri Scotistæ. Rursus aliqui recentiores graues nostræ Societatis, eosque inter Arriaga disp. 11. Log. sect. 3. subsect. 3. num. 35. tametsi reiciant distinctionem ex natura rei Scoticam inter ens, & eius inferiora, ac attributa realia, nullum tamen horum, qualescunque sit, ab illo ratione transcendendi, illudve quidditatiue complecti admittunt: alij autem eorum talem distinctionem rationis volunt esse virtuales extrinsecas, & à nostris actibus duntaxat profectam, nulla prædicatorum contradictione rem ipsam afficiente: alij virtuales intrinsecas, eamque qua enti, & eius differentiis, modis, & attributis prædicata contradictoria re vera conueniant. Præterea innumeri auctores tum nostræ Societatis, tum etiam extra illam putant terminationem liberam, qua Deus mundum, verbi gratia, condere decreuit, virtualiter intrinsecè distingui ab entitate ac perfectione necessaria Dei qua cum realiter identificatur, ne videlicet Deo petire possit aliqua entitas aut perfectio, si eiusmodi terminatione careret, ac nequaquam veller orbem moliri: proinde exercitium illud diuinæ libertatis, esto sit realiter ens, & quidem perfectissimum, ab eo tamen non transcendendi, sed potius distingui ratione, ac tali quæ prædicatorum contradictionem importeret. Denique multi connotatores existimant, relationem prædicamentalem similitudinis aut dissimilitudinis, æqualitatis aut inæqualitatis, Paternitatis aut Filiationis, aliamve quamcunque esse realiter, perfectionem, & entitatem solius fundamenti, eius tamen & cuiusvis alterius virtualiter ac ratione ratiocinata expertem

expettem esse, propterea quod alioqui singulis momentis infinitè propemodum entitates ac perfectiones fundamento adessent & abessent, quæ est relationum prædicamentorum fundamento identidem accedentium, & recedentium multitudo, necnon ob alia absurda, quorum mentio facta est supra libro tertio, tractatu 6. Quare ex hoc titulo plura esse prædicata realia ac positiva, quæ ens quidditatiuè excludant, & ab eo neutiquam ratione transcenduntur.

CAPUT II.

Nostri sententia proponitur.

3 **Q**uo dicta superiori capite ab aliis, quo etiam à nobis in præsentī dicenda luculentius innotescant, præmitti oportet aliqua: quorum prius sit, differentias alias esse essentielles, alias essentialiæ proprias, eique accidentarias: illæ dici absolute solent differentia ac nomen totius diuisi usurpant; hæc ut plurimum vocantur proprietates, attributa, passionis, non vero differentia nisi raro admodum: utrumque autem horum constat vel ex notissima illa & ab omnibus recepta Porphyrij diuisione prædicabilis in genus, speciem, differentiam, accidens, proprium, & accidens commune.

4 Secundò præmittendum est, differentias entis proximas cuiusmodi sunt per se & in alio, à se & ab alio appellari à multis differentias, propter id quod vnum ens ab alio faciant differre, & summo quidem interstitio: ab aliis vero non differentias, sed modos entis nuncupari, ut videre est apud Scorum in primo distinctione tertia, quæstione tertia, & Suarez disputatione secunda metaphysicæ sectione quinta, & cum eis alios non paucos, qui ea videntur ratione ducti, quod differentia censeretur quæ respicit genus, illudque determinat, quare nihil frequentius quam eam vocari diuisionem generis, constitutiuam speciei, & prædicabilem de inferioribus: ens autem iuxta plerumque non est genus, sed decem generibus supremis siue prædicamentis superius: nil mirum ergo si non per differentias propriè sumptas, sed per modos proxime contrahatur. Atque hac ratione Beatus Thomas capite præcedenti laudatus haud dubiè loquitur. Nos autem propter doctrinæ commoditatem ac breuitatem differentias siue essentielles, siue essentialiæ propria ac necessaria ratione consequentes, & siue proximas entis, siue ab eo remotas, communi nomine usurpabimus, ac differentias absolute dicemus.

5 Tertiò præmittendum est, differentias alias esse nominatas, quales sunt per se, & in alio, à se & ab alio; item corporeum aut incorporeum, animatum aut inanimatum, sensibile, insensibile, rationale, irrationale, risibile, admiratiuum, vnum, verum, bonum, &c. alias vero innominatas, quæ in illis prioribus includuntur, atque ad eas rationem entis sibi extraneam, intrinsecè, & quidditatiuè contrahunt, ut statim constabit. Quartò præmittendum est, sicut ratio alia est intrinseca & ex natura rei, alia extrinseca & ex parte nostrarum cognitionum, item vna formalis, alia virtualis ac tantum æquiualens; ita distinctionem rationis, iuxta plures, aliam esse intrinsecam & ex natura rei, aliam extrinsecam & à nostris solum actibus profectam, rursus aliam esse formalem, intrinsecam utique

aut extrinsecam, aliam virtualem, quæ similiter rei intrinsecus aut extrinsecus accidit: distinctio formalis intrinseca siue ex natura rei est vera & propria distinctio, omnem intellectus operationem antecurrens, tametsi iuxta suos auctores distinctione reali, hoc est rei à re, minor sit: distinctio virtualis intrinseca non est vera ac propria distinctio, sed eius æquiualentia quædam, merito cuius res prædicata contradictoria perinde subit, ac si esset realiter distincta, & multiplex: distinctio formalis extrinseca, & virtualis extrinseca, in idem fermè recidunt, cumque ambæ distinctionem actuum nostrorum idem obiectum, sed aliter representantium denotent, tantum id videntur habere discriminis, quod prior magis indigiter distinctionem ipsorum actuum secundum se, posterior vero eorum distinctionem respectu obiecti, siue, quod instar est, hoc prout ab illis distinctum, & multiplex denominatur.

His constitutis assero primò: aliquæ saltem differentia nominatæ rationem entis intinè, & quidditatiuè includunt, atque ab eo non re tantum, sed ratione transcenduntur. Ita contra recentiores quosdam capite præcedenti relatos Thomistæ, Scotistæ, Nominales, ac ceteri auctores, quos longo ibidem syllabo recensuimus. Assero secundò: omnes prorsus differentia nominatæ similiter mixtæ sunt & ab ente transcendunt, illudque tam re quam ratione inuoluunt, haud aliter ac homo animal vel rationale. Ita tum aduersus Scorum & asseclas, tum etiam à fortiori aduersus recentiores proximè memoratos, ceteri Doctores quorum supra mentionem fecimus.

Assero tertiò: ens nullas differentias innominatas (quarum tamen ingens est copia) ratione transcendit. Quare siue fermo sit de per se & in alio, à se & ab alio, siue de corporeo & incorporeo, animato & inanimato, sensibili & insensibili, rationali & irrationali, siue de risibili & admiratiuo, siue de vno, vero, & bono, in quolibet horum & alio quocunque simili, later aliqua vera differentia, simpliciter simplex & innominata, quæ quidem contrahit ens, quin vllatenus illud quidditatiuè includat, ab eorum ratione transcendatur. Sic à fortiori recentiores sæpè sæpius laudati: hi enim nullam omnino differentiam siue nominatam, siue innominatam ens formaliter esse admittunt. Sic etiam Scorus; & asseclæ, quoad multa: nam in modis entis, in eius passionibus, necnon in differentiis vltimis, aliquid quod non sit quidditatiuè & formaliter ens, agnoscunt. Ita denique, aliqua ex parte, ij qui terminationem liberam Dei, & relationem prædicamentalem, omnis entitatis ac perfectionis formaliter seu quidditatiuè expertes, & alicuius solum realiter participes, existimant. Cæterum assertioni nostræ tertio loco positæ refragantur in primis omnes illi auctores, qui supra ens intinè cludi in omni conceptu reali quantumvis simplici, & vltimo putant. Item Scorus, & eius sectatores, quod attinet ad differentias non vltimas: siquidem in illis, quod non sit ens, nihil concedunt, tametsi in vltimis tale quiddam agnoscant. Præterea, quod spectat ad discrimen positum inter differentias nominatas & innominatas, omnes superius relati illud, quod sciam, reiciunt, nec ut plurimum in differentiis recensitis alias nominum inopes, & ut ita dicam latebrosas admittunt.

Assero quartò: differentia innominatæ ac simpliciter simplices, haud excludunt ens distinctione illa rationis, quæ vocari solet formalis intrinseca, siue ex natura

natura rei, cave quæ formalis aut virtualis solum extrinseca appellari consuevit; sed potius virtuali intrinseca. Ita omnes qui hanc in rebus creatis, & simul cum ea non transcendunt entis admittunt. Affero quintò, & ultimò: fieri non potest, ut relatio prædicamentalis, cum realiter sit fundamenti solius entitas, ab ea tamen non transcendatur ratione virtuali intrinseca, sed ei possit adesse, & abesse. Ita præter connotatores ceteri omnes scholastici: quod autem attinet ad terminationem liberam diuinæ voluntatis, an sit virtualiter intrinsece entitas & perfectio, vel potius huius nisi realiter experts, hoc Theologi proprium, & à nostro instituto alienum arbitror, an proinde in medio relinquo. Ecce meam de transcendentia entis, & cuiusvis alterius conceptus sententiam, suis distinctam partibus, quo facilius possit tum argumentis probari, tum etiam ab obiectionibus vindicari.

CAP V T III.

Verioris sententia quoad eius duas priores partes probatio.

9 **P**rima assertio nostra hunc in modum probatur. Si nullæ differentia includerent formaliter ens, nec aliquæ quantumvis nominatæ, & notæ paterentur ab eo se transcendendi, contra quam primo loco asseruimus, profectò genus etiam excluderet formaliter ens, & ab eo nequitiam transenderetur. Ecquid enim est animal quam duplex differentia, altera substantiæ, altera adiectiue sumpta, quippe viuens ac sensibile: ergo si hæ differentia non transcenduntur formaliter ab ente, ne genus etiam animalis ab eo quidditatiue transcendendi sustinebit, quod est aduersus aduersarios ipsos, & reliquos omnes auctores. Idem argumentum in quouis alio genere, si libet tunc ipse feraris.

10 Argumentor secundò: viuens est quædam differentia nominata corporis, utpote quod modò determinatur per illud, modò per eius contrarium, scilicet non viuens siue inanimatum, haud aliter ac animal per rationale, & irrationale: at viuens est formaliter ens: ergo, &c. Maior sponte sua liquet. Minor suadetur: viuere est formaliter esse; quis enim concipiat quidditatiue hominem, verbi gratia, viuere, quin cum esse hoc ipso sibi repræsentet? sanè qui alterum eorum ab altero separet, is quidditatem hominis ab animali, vel rationali fecernat: quod si viuere est formaliter esse, viuens erit necessario ac formaliter ens, siue essens, ut ita loquar. Sed dices, solius Dei proprium videri, quod in ipso sit prorsus idem viuere & esse: non ergo noitri? *Vbi est*, inquit Augustinus libro 6. de Trinitate, capite 9. de Deo loquens, *Prima est summa vita, cui non est aliud viuere, & aliud esse, sed idem est esse & viuere.* Mille alia eiusmodi apud ceteros Patres. Verum hæc obiectio facillè potest remoueri: si Augustinus & alij Patres, quoties distinguunt in nobis & non in Deo viuere & esse, exponantur non de vita substantiali, de qua sola nobis sermo, sed de vita accidentaria, siue exercitio vitæ, quod quidem ab esse cuiusvis creaturæ realiter distingui fatemur, cum tamen Deus non per accedens à se realiter distinctum vitam exerceat.

11 Rursus tertio hic vtor eo argumenti genere, quo probare soleo, accedens esse formaliter ens, nimirum quia est actiuum, imò iuxta Thomistam ei entitatem inuidentes, tota ratio agendi. Non pauca differ-

R.P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

rentia nominatæ habent vim productiuam aliquorum effectuum: etenim sensibile prout tale est principium sensationum, rationale discursuum, admiratiuum admirationum, & risibile risuum. At quidquid est productiuum suapte natura, quidquid aliis potest communicare esse, eo ipso habet esse, cum nemo possit dare quod non habet præfata ergo differentia prout tales & quidditatiue ac formaliter sumptæ habent esse: illud igitur possunt habere, siquidem ab actu ad potentiam valet consequentia: quandoquidem ergo ens perinde est ac potens vel aptum esse, tam erunt formaliter entia, quam in sensu formali & quidditatiue sunt ac possunt esse. Quæ ratio non parum urget, ad homines etiam eos qui accidentia esse simpliciter entia, idque quidditatiue, non dissidentur: cur enim non similiter philosophantur de adductis differentiis, quippe quæ formaliter sumptæ tam sunt operatiue quam accidentia possunt operari ac tribuere esse? aut è contrario, cur accidentibus quantumlibet actiuis, simpliciter esse non negant, quod differentiis non largiuntur, tamen si tota earum essentia in quadam operandi vi consistat?

12 Aliud etiam argumentum mihi familiare ad probandum accedens esse simpliciter ens, huic potest instituto accommodari. Quidquid producit hoc ipso est ens: sed multæ differentia earum quas noscimus & nominamus, quidditatiue sumptæ producantur: igitur ita erunt entia. Maior est in aperto: nam quod producit potest produci, & consequenter esse, sicut ad rationem entis oportet. Minor non minus est conspicua: etenim differentia creaturæ, quæ latissime patet, ac manat in omnia entia finita, adeoque plurimum imò innumerabilem instar est, si formaliter & quidditatiue sumatur, est esse ab alio siue alicuius agentis virtute produci posse; atque ita, & non aliter ab omnibus definitur. Præterea esse filium, aut filiam, nepotem, aut neptem, &c. pro formali sumpta sunt quædam differentia relationis prædicamentalis: at earum quidditas seu ratio formalis est quoddam produci seu generari. Ad hæc, esse posterius natura pro formali sumptum est quædam differentia posterioritatis, quæ non solum est naturæ, sed etiam loci, temporis, honoris, &c. sed esse posterius natura quidditatiue acceptum est ab alio causari ac produci. Aliis exemplis, ne longus sim, supersedeo. Confirmatur hoc argumentum ordine quartum: idcirco potissimum accidentia intrinsece & quidditatiue sunt entia, & non per attributionem quandam, ut cum Caietano volunt aliqui Thomistæ, quia quidditatiue sumpta simpliciter producantur, & vitæ, lationis, alterationis, aliorumque motuum termini sunt. Ita tractatu sequenti argumentari animus est: at quas recensuimus differentia formaliter sumptæ producantur: quidni ergo formali, & quidditatiue sensu rationem entis obtineant?

13 Argumentor quintò ex Patris Suarez disputatione secunda metaphysica, sectione quinta, numero vndecimo, *A se quidditatiue sumptum est perfectius quam ab alio, per se quam in alio*, sensibile quam sensus experts, rationale quam irrationale, &c. priores ergo differentia nominatæ formaliter important aliquam perfectionem, qua posteriores superant: ergo & aliquam entitatem, sicut oportet, ut ab ente transcendatur: antecedens cum prima consequentia adeo manifestum est, ut nullo probamento egere videatur: secunda consequentia suadetur; tum quia iuxta non paucos aduersarios perfectio

X 2

cum

cum entitate reali recurrit, eademque profus est: tum etiam quia licet ratione distinguantur, quod tamen ad præsens attinet, eadem est utriusque ratio, nec ulla subest causa, cur una potius quam alia differentias transcendat, nam etiā inferiora, v.g. substantia & accidens conueniunt in perfectione & differunt in ratione talis perfectionis maioris scilicet ac minoris, at non obstante hac similitudine, ac dissimilitudine qua potissimum omnis non transcendentia probari consuevit, perfectio differentias suas videlicet per se & in alio & ceteras transcendit: quidni ergo eas transcendere possit ens? quantumvis in eo conueniunt inferiora, & non in eo sed in modis per se & in alio aliisque id genus differant. Alia etiam argumenta transcendentia non maiorem in conceptu entis quam perfectionis vim habent: tum denique quia saltem perfectio est proprietas entis, illudque vbiuis supponit: proinde si differentia per se aut à se quidditatiue sumpta perfectionem includit, id non erit absque formali inclusione entis: unde eiusmodi proprietas emanet, & cui eam acceptam referat.

14 Argumentor sextò: animal est perfectio & entitas, idque in sensu formali, & quidditatiuo, vt omnes fatentur: ergo à fortiori eiusmodi erit rationale, cum tamen sit differentia nominata. Argumentor septimò: sola indiuisio non est vnitas propriè & simpliciter sumpta; nam etiam carentia Petri, verbi gratia, est indiuisa & non multiplex, & tamen non est propriè & simpliciter vna, vt omnibus in confesso est: ergo indiuisio prout coniuncta cum entitate est vnitas vera ac stricta: hæc igitur entitatem formaliter inuoluit, & ab ea transcendendi postulat: at est differentia eaque nominata entis, non quidem essentialiter illud contrahens, sed accidentaliter ei attributa: huiusmodi autem differentia ad præsentem controuersiam etiam attinent vt supra cap. i. visum est. Argumentor octauò, & præcedenti argumento vim & lucem adhibeo; veritas entis passio non est terminare posse veram cognitionem, aliàs carentia & non enti conueniret: ergo est eiusmodi respectus ad cognitionem veram, necnon ipsa ratio entis: hæc ergo veritatem formaliter transcendit: idem argumentum fieri potest in bonitate, quæ est differentia accidentaliter ac proprietas entis, illudque formaliter claudit, aliàs non enti conueniret, quandoquidem hoc etiam multoties amatur.

15 Denique probari solet assertio nostra hunc in modum. Per se, & in alio; à se, & ab alio non possunt concipi, absq; eo quod conceptus entis, in conceptibus earum differentiarum formalissime includatur: ens ergo eiusmodi differentias ratione transcendit. Antecedens probatur: quoniam casus obliquus cum termino syncategorematico in adiacentia conuenit, at terminus syncategorematicus ita alteri adiacet vt eius conceptus formalissime sit conceptus eius cui adiacet, nec alter ab altero seperabilis sit: casus ergo obliquus, qualis est à se, & ab alio, per se, & in alio est formalissime conceptus entis cui adiacet, nec ab eo potest vnquam separari. Minor probatur ex differentia inter nomina adiectiua, & syncategoremata: quia nomen adiectiuum se solo potest esse prædicatum alio termino non subintellecto, videlicet quia conceptus eius non est formalissime conceptus alterius cui adiacet; at syncategorema nequit esse prædicatum aut subiectum se solo, ac non subaudito alio termino: igitur conceptus eius est formalissime alterius termini, cui quidpiam consignificat. Hanc autem differentiam inter nomen adiectiuum, & syncategorema interesse sic suadebis: prolata hac propositione *albus est homo*

confestim intelligitur esse hæc, *homo est albus*, videlicet quia albus se solo potest esse prædicatum non subiectum: at edita hac propositione *aliquis est homo*, non intelligitur esse hæc *homo est aliquis*, scilicet quia *aliquis* (quæ est natura termini syncategorematici) subiectum aut prædicatum sine alio termino subintellecto esse nequit; vbi autem terminus subaudiatur alius non est cur subiectum remanere non possit.

16 Sed hoc argumentum parum demulcet: probabilius enim est, casum obliquum, & conceptum per eum expressum non semper oportere transcendendi ratione ac formaliter à casu recto, siue quod modò nobis instat est, à conceptu obiectiuo, qui per eum exprimitur & significatur: quamuis ergo per se & in alio, à se & ab alio, non directè sicut ens, sed ex obliquo denotentur, haud propterea debet transcendendi formaliter ab ente, cui adiacet: consequentia est perspicua: antecedens etiā: quia eiusmodi casuum significata multoties vltro citroque ratione distinguuntur, vt si v.g. animalitas rationalitate contracta dicatur esse perfectior, quam si per aliam differentiam contrahatur: tum ergo neutrum cum altero ratione idem erit, ab eoe formaliter transcendetur. Adice, quod haud raro realiter etiam distinguuntur, vt verbi gratia, si domus Petri incensa aut aliter destructa esse feratur: distinctio autem realis nullam transcendentiam, ne dum formalem ac summam, patitur. Quod autem attinet ad terminum syncategorematicum, unde arguitur ad casus obliquos, probabilius similiter est, cum non debere transcendendi ratione à termino categorematico cui consignificat, quanquam enim sine hoc vel exterius expresso vel saltem subintellecto, nequeat ille reperiri in propositione aut subiecti vel prædicati vicem obtinere, hinc tamen colligi merito nequit utriusque identitas formalis ac summa, sed solum connexio quædam & hæc vaga, qua syncategorema necessario eget aliquo categoremate indiscriminatum ac indeterminate, non vero aliquo destinate præ alio: quæ ratione quod materia prima nequeat existeret aut alii cui composito substantiali inesse sine forma sibi conforme, non identitatem realem vnus cum alia, sed solum connexionem vagam adarguit.

17 Atque hinc satis fit iis, qui simile argumentum superiori proponunt in conceptibus adiectiuis, quos negant se solis, & nullo substantiuo subintellecto aut expresso prædicari posse, nedum subiici, aut eatenus à syncategorematis differre. Verum in primis esto non differant, sed potius eadem sit vtrorumque ratio, quid inde? Certè vel eo ipso vtriusque satisfactum est paulo supra, alteris in se, & alteris in simili seu æquiualehti. Deinde quamuis prædictam differentiam negent, tum hi quibuscumque lis in præsentia, tum etiam alij quos suppressis nominibus refert Sotus lib. 2. summul cap. 13. lect. 1. not. 3. at ipse ibidem. & cum eo plerique scholastici illam adstruunt: nihilque apud eos familiarius, quam terminos adiectiuos hoc habere præ syncategorematis quod se solis possint prædicari, quanquam non subiici: id ipsum nos etiam in dialectica ostendimus ex professo.

18 Iam secunda assertio nostra videlicet omnes differentias nominatas esse ens quidditatiue & formaliter, haud magno opere ex dictis suadetur: nam hæ differentia nominata per se, in alio, à se ab alio sensibile rationabile, risibile, admiratiuum, vnum, verum, bonum includunt ens intimè & quidditatiue, ergo & omnes: antecedens multipliciter probatum est. Consequentia suadetur, primo, quia si quæ illud ita non includerent maxime aliquæ earum, quas recensuimus: non enim aliàs

alias transcendendi negant aduersarij : at nullæ earum ab ente transcendendi recusant , vt supra visum : omnes ergo transcendentiæ obnoxie sunt : Secundò , quia non est potior ratio aliarum quarumvis , quam harum de quibus proximè fuit mentio : si ergo hæc ; & reliquæ differentiæ nominatæ pari iure ens formaliter includent , atque ab eo transcenduntur.

19 Rursus eadem posterior assertio probatur : si aliquæ differentiæ nominatæ includerent formaliter ens , & aliæ non : maximè vltimæ ex vna parte , & non vltimæ ex alia : hæc enim priori modo , & illæ posteriori iuxta doctrinam Scoti se habent : at hoc discernitur Scoticum inter vltimas differentias & non vltimas , haudquaquam posse sustineri suadeo : si prius tamen quale sit explicauero. Primò enim aliqui ita accipiunt Scotum , vt non intelligat per differentiam vltimam , eam quæ constituit speciem vltimam , differentiam vero non vltimam , quæ constituit speciem subalternam , aut genus nam citata distinctione 3. quæstione 3. §. *Ad videndum autem* , expresse docet admissa pluralitate formarum in homine , & sensitiuæ ab intellectu distinctione reali , futurum vt rationalitas non esset differentia vltima hominis , neque excluderet formaliter ens , sed potius ab eo transcendere ritum formæ intellectiue , à qua tota citra dubium tunc sumeretur : quare eam facta tali hypothese fore differentiam non vltimam hominis ; & tamen non constitueret genus , sed speciem infimam hominis , eamque non minus quam modo completeret , & à quauis alia differre faceret ; haud ergo differentia vltima iuxta Scotum videtur esse quæ speciem vltimam , haud non vltima , quæ speciem non vltimam , siue genus constituit : vnde iuxta ipsum differentia non vltima forsan debet esse ea quæ sumitur à tota forma , & differentia vltima , quæ ab vltima realitate formæ : atque ita Scotum interpretatur Suarez disp. 2. metaph. sect. 5. num. 2.

20 Enimvero hæc doctrina vnde colligit Scotus aliquas differentias nominatas transcendendi , & alias non transcendendi , & hæcenus vtræque differre , impugnatur : quoniam ex ea fieret , plures differentias neque vltimas , neque non vltimas esse. Consequens est absurdum , ac proinde illud ex quo sequitur. Probatum sequela : nam in homine modo non est nisi vnica anima , vt vel Scotus fatetur , quidquid sit an præter animam formam substantialem corporeitatis in eo admittat , anuè ante generationem hominis , & animæ rationalis in corpus infusionem , aliarum animarum videlicet sensitiuæ , ac vegetatiuæ existentiam , ac dispositionem non renuat : vnica igitur anima nostra simul est vegetatiua , sensitiua , & rationalis , id quod etiam in Physica à nemine tuto negari posse ostendimus : differentia igitur sensibilis nec sumitur à tota forma , sed ab aliqua eius realitate , nec etiam sumitur ab vltima realitate formæ humanæ , sed potius ab aliqua superiori , quam rationalitas sequitur : eiusmodi ergo sensibilitas nostra , nec est vltima differentia , nec etiam non vltima , si vtriusque nuper à Scoto insinuata explicatio vera est. Pari ratione differentia coloris albedini intrinseca , & essentialis nec erit vltima , quia non sumitur à tota forma albedinis , sed à quadam eius realitate , quatenus cum nigredine & quolibet alio colore conuenit , nec etiam non vltima , quia non deriuatur ab vltima realitate albedinis : hæc enim specificam differentiam albedinis non vero superiorem illam & genericam progenerat : simili modo differentia spiritualitatis in Angelo qui actus quidam completus est , & for-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

marum substantialium multiplicitate vacat , haud erit vltima , haud etiam non vltima. Simili quoque modo se res habet in omni conceptu , vbi nonnisi vna sola forma visitur. Quinetiam , tamen in homine realiter distincta esset anima sensitiua , & intellectiua , idem argumentum instaurari posset in rationalitate , & probari , eam nec vltimam differentiam , nec non vltimam fore : non vltimam , vt Scotus loco citato luculenter edocet , haud etiam non vltimam , quia non à tota anima intellectiua originem tunc haberet , sed solum ab vltima eius realitate , merito cuius differimus ab intelligentiis Angelicis & nullo cum corporibus commercio iunctis : quod si rationalitas ac vis intellectiua nobis insita hoc pacto non sumatur , sed latius , & prout Angelis nobiscum communis , ea quidem non erit differentia hominis propria , de qua omnes in præsentī loquimur.

21 Porro autem consequens absurdum esse trifariam suaderetur. Primò , quia nulla species est nec vltima nec non vltima , siue vt alijs terminis utar , nec infima nec subalterna : nullum etiam genus nec infimum nec non infimum , aut , quod ad præsens institutum perinde est , nec supremum nec non supremum : item nulla differentia , nec rationalis nec non rationalis , nec sensibilis , nec non sensibilis : similiter ergo nulla differentia potest esse inter vltimam & non vltimam media , & nec vna nec altera : huius autem sicuti & eorum quæ in antecedenti cursu recensuimus , ea ratio est , quod termini contradictorij medium omne reiiciant , atque necessarium prorsus sit ad alterutrum eorum desiccare. Secundò , quoniam Scotus ipse differentias passim diuidit in vltimas & non vltimas : at diuisio debet esse immediata & adæquata , ac huiusmodi quæ omnia inferiora complectatur : præter vltimas ergo differentias & non vltimas , quæuis aliæ sunt prorsus reiiciendæ. Tertio , quia tales differentie inter vltimas & non vltimas mediæ , v. g. sensibilitas aut vitalitas transcenderentur ab ente formaliter , & simul essent eius transcendentiæ expertes : ergo repugnant : prior contradictionis pars liquet , nam idcirco præcisè differentia vltima iuxta Scotum non transcenditur omnino ab ente , quoniam sumitur ab vltima realitate formæ , hæc autem ratio non procedit in differentijs illis medijs , quæ non ab vltima , sed potius à superiori quadam realitate formæ deriuantur : cur igitur eas formaliter ab ente transcendendi repugnet ? Posterior contradictionis pars non minus est in aperto liquidoque : etenim propterea iuxta Scotum differentia non vltima transcenditur prorsus ab ente , quia manat à tota forma : at differentia illa neutrius generis non à tota forma , sed ab vna eius realitate originem trahant : haud ergo possunt ab ente quidditatiua ratione transcendendi.

22 Alij aliter explicant Scotum , & iuxta eum putant , differentiam vltimam esse quæ constituit speciem infimam , siue inter omnes quæ prædicantur de pluribus in quale quid , eamque est infima & minus prædicabilis , vt rationale , hinnibile , &c. non vltimam vero differentiam esse subalternam , ac superiorem , magisque prædicabilem , vt sensibile , viuens , &c. Cui explicationi coniecturam facit Scotus relata distinct. 3. quæstione 3. §. *Quantum ad secundum articulum principalem* : vbi sic fatur , omnia enim genera , & species , & individua , & omnes partes essentialiter generum , & ens increatum , includunt ens quidditatiue. Omnes differentie vltimæ includuntur in aliquibus istorum essentialiter vel quidditatiue. Fit differentia subalterna , & non à tota forma , sed superiori quadam eius realitate oriunda , veluti sensibile , aut vitale , sunt proculdubio partes essentielles generum :

generum: censei ergo debent differentia illa non ultimam, quas Scotus ens formaliter includere, & ab eo penitus transcendendi asseuerat, contra vero ultimam quae his ex diametro opponuntur, id est ea quibus species infima constituuntur. Huc etiam facit, quod Scotus docens, rationale, si anima intellectiua hominis esset distincta ab eius anima sensitiua, fore differentiam non ultimam, adeoque supponens eam, modò & praecise loquendo, esse differentiam ultimam, nec aliud vsquam differentiae ultimae exemplum adhibens, hoc ipso videatur in ea esse sententia ut existimet, solam differentiam speciei ultimae constitutiuam, cuiusmodi est rationalitas, esse ultimam, omnemque aliam non ultimam. Atque ita Scotum accipiunt Scotus in praedicam. capite 4. quaest. 1. art. 2. Hurtadus in metaph. disp. 2. sect. 4. & alij plures.

23 Sed ne ita explicata opinio Scoti difficultates omnes exhauret: quare impugnat. primo hunc in modum: sensibile ac vitale includunt formaliter entitatem & perfectionem, cum sint differentia subalterna: ergo à fortiori rationale quod est perfectius, tamen sit infima differentia. Deinde, aut est sermo de differentia infima praedicationis ordine, absolute loquendo, & nulla facta restrictione: atque ita differentia constitutiuam speciei infimae, cuiusmodi est rationalitas, non est infima: quamuis enim sit minus praedicabilis quam vlla differentia subalterna, ac proinde cuius hac ratione inferior, ceterum est magis praedicabilis, quam indiuiduatio, qualis est, verbi gratia, Petritas: hac enim nulla de quibus praedicetur habet inferiora, illa vero nonnulla saltem numero diuersa: differentia ergo, de qua nobis sermo, scilicet rationalitas, absolute superior est ordine praedicationis, facta illius comparatione cum differentia indiuiduali seu numerica Petri alteriusve hominis: hac ergo sola est infima absolute quoad praedicationem, non vero illa: unde, si quae ita est infima, & non alia, formaliter ab ente transcendendi se verat, profecto non rationalitas aut huiusmodi, sed sola indiuiduatio erit omnis transcendentiae expertis. Aut propterea sermo est de differentia infima praedicationis ordine, non absolute, sed facta quadam restrictione, quasi ita differentiam aliquam esse infimam sufficiat, ut ea formaliter nequeat ab ente transcendendi, illamve ita non esse infimam, ut ab ente omnino transcendatur: atque hoc etiam facile potest improbari, nam inde fieret, non solum rationalitatem esse infimam ordine praedicationis in sensu posito, sed etiam sensibilitatem: hac enim facta quoque restrictione aliqua, infimum locum habet ordine praedicationis, quando nulla quidem est minus praedicabilis, inter omnes quae de pluribus specie differentibus praedicantur, sicut rationalitas licet non sit praecise minus praedicabilis quam vlla alia differentia, sed potius indiuiduatio, tamen, inter omnes communes & de pluribus dici aptas, est minus praedicabilis: iam ergo non solum rationalitas, sed etiam sensibilitas formalem entis transcendentiam à se reiciet, contra quam supponitur. Rursus tertio: vnum, verum, & bonum, quamuis latissime fusa sint, & de nullo non praedicentur, tamen iuxta Scotum ab ente formaliter transcendendi nequeunt: quod ergo differentia subalternae ac generum constitutivae latius pateant, ac sint magis vniuersales, iis quibus species atomae coalescent, illas minus quam has transcendendi nentiam efficiet. Denique rationale esse ens quiddi-

rativè, tota huius capitis assertione i. probatum manet, cum tamen praecens expositio Scoti contrarium perhibeat.

Denique alij Scotum ita interpretantur, ut differentias ultimas & non ultimas vsurpet, non ordine praedicationis, de quo proxime fuit mentio, sed ordine resolutionis: quasi differentia ultima sit ea in quam res ultimo resoluitur, siue ea de paucis, siue de multis, & siue de pluribus solo numero, siue de pluribus specie differentibus praedicetur: non ultima verò sit, in quam res non ultimo, sed propius & immediatius resoluitur: verbi gratia, homo resoluitur ac diuiditur in corpus & animam; deinde anima eius in duas realitates, à quarum vna dicitur rationalis & ab alia sensitiua. Posterior resolutio est ultima, unde etiam differentia rationalis ac sensibilis, & quavis alia à similibus gradibus metaphysicis sumptae erunt ultimas, & ens quidditativè non includent. Prior resolutio est non ultima, proinde hominem esse animatum & corporeum sunt differentiae non ultimae, & ens quidditativè claudunt, sicut illud cohibent partes essentiales à quibus hauriuntur. Atque hoc videtur insinuare Scotus citata quaest. 3. his verbis, *Nam differentia ultima dicitur quia non habet differentiam, quia non resoluitur in conceptum quidditativum, & qualificativum, determinabilem & determinantem: sed est tantum eius qualificativum, sicut ultimum genus habet tantum conceptum quidditativum.* En docet, differentiam ultimam, esse eam quae est ulterius irresolubilis, siue in quam tota rei resolutio definit. Neque procul ab hac Scoti expositione, praeter alios eius asseclas abest Licherus in 1. dist. 3. q. 3. super illa Scoti verba ad videndum autem quomodo sit verum & sequentia.

At hic etiam Scoticae opinionis tuendae modus confutatur: nam primo iuxta eum sensibile, & rationale, & id genus aliae differentiae rationem entis formaliter excludunt, quod tamen falsum esse supra satis ostendimus. Tum secundo, ad finem huius tractatus constabit, nullam fortassis esse differentiam ordine resolutionis ultimam, sed quamvis assignatam ulterius in infinitum resolui posse, quin in aliquam resolutionem desinat: quod si ita habet, contraria opinio corrumpat necesse est, utpote fundamento suo profus deoluta. Tertio, etiam si admitatur aliqua differentia, ordine resolutionis ultima, ea haud erit rationalitas, haud sensibilitas, aliae similis, ut satis inue-niuntur ab aduersariis supponitur, sed duntaxat indiuiduatio siue haecceitas: hac ergo sola, non alia vlla ens à se formaliter abiget. Praeterea non conspicio, cur authores huius expositionis, & Scoticae doctrinae sectatores ad differentiam ultimam ordine resolutionis respiciunt, eius vero quae est ultima praedicationis ordine nullam habent rationem? Quaeso, cur vna dicitur absolute ultima & non altera? aut quamobrem vna potius quam altera ens quidditativè refutat? Denique Licherus loco superius citato resoluit primò hominem in materiam, & plures formas inuicem realiter distinctas, scilicet animam intellectiuam & animam sensitiuam, & harum alterutram ultimo in diuersas realitates, unde ultima differentiae hauriuntur. Atqui istiusmodi animatum pluralitas qua Licherus conatur sententiam suam explicare, est aduersus octauam synodum generalem, quae est Constantinopolitana 4. Can. 11. & à nobis in Physica manifestis rationibus oppugnata manet.

C A P V T IV.

Verioris sententia quoad tertiam eius partem probatio.

26 **T**ertia assertio nostra erat, nullam prorsus esse differentiam, inter eas quæ à nobis noscuntur ac nominantur, in qua non lateat alia occulta & innominata, entis formaliter expers, & ab eo quidditatiuè non transcendens. Huius autem doctrinæ sit prima probatio. Quamuis aliqua inter hominem & equum similitudo interueniat, non tamen quoad omnes vtriusque formalitates: necesse igitur est aliquam in vtrius formalitatem esse, quæ ab altero dissideat, eique similis non sit: ergo & aliquam quæ non sit quidditatiuè ens: nam si omnes & singulæ vtriusque formalitates ens quidditatiua ratione includerent, nullæ non essent similes, merito scilicet eius communissimi gradus, quo tenus conueniant: eiusmodi autem formalitas entis formaliter expers, & non nisi realiter eius particeps, etsi videatur esse in homine rationalitas, & in equo hinnibilitas, contrarium tamen longe verius ac probabilius esse cap. præc. statuimus: relinquatur ergo necessario, vt in rationalitate lateat aliqua occulta differentia, quæ non sit intimè ens, nec penes illud equo similis sed potius ab omni conuenientia & similitudine prorsus aliena, atque in hinnibilitate equi alia tacita differentia entis exors. Cado totius nostræ probationis est primum antecedens: illud ergo ita confirmo. Si hominis & equi similitudo omnes vtriusque formalitates, nulla exempta, comprehenderet; profecto forent ambo summe similes ac tantundem consequenter, quantum duo homines, quod nemo nisi rationis & humanitatis expers largietur. Sic homo, & equus, si essent realiter æquales quoad omnes vtriusque partes, eorum æqualitas esset summa; nec ea minor qua duo, homines perfectione æquatur: quia vero solum penes corpora sunt æquales: animabus tamen longè impares, idcirco non summa sed alia minori æqualitate gaudent. Sic etiam Petrus v.g. si quoad omnes suas partes daret toto alicuius anni spatio & singulis eius partibus, horis, ac momentis, neque Paulus, neque quisquam alius poterit eo magis anno durare.

27 Hoc argumentum occasione alterius instituti supra lib. 2. tract. 4. cap. 9. pressimus amplius, aliisque exemplis ei lucem adhibuimus. Porro illud non tantum in rationalitate & hinnibilitate locum habet, sed in quibusvis aliis differentiis etiam subalternis & genericis: cum enim animal similius sit alteri animali, quam rei inanimatæ, & viuens ei quod viuit, quam vlli non viuenti, & corpus corpori, quam spiritui, ac substantia alteri substantiæ quam accidenti, necesse protinus est, vt in horum omnium generum differentiis nomina sua inuicem diferetis, adeoque enti obnoxii & ab eo transcendens, lateant aliæ entis formaliter expertes: alias in eiusmodi graduum communium similitudinibus nulla prorsus esset in æqualitas.

28 Secunda probatio eiusdem assertionis tertiæ sit ex Scoto, quem in tempore laudabimus: Homo v. g. prout ens, est similis equo, & prout rationalis ei dissimilis seu non similis, idque ex parte rei & seorsim à conceptibus nostris: rationalitas ergo hominis non est similis equo, aliàs penes eam homo similis equo euaderet: cum ergo de rationalitate simpliciter & adæquatè sumpta dici nequeat, quod non sit similis

equo, includit enim ens quidditatiuè, vt supra visum, adeoque rationem conuenientiæ & similitudinis, oportet vt sit ei non similis duntaxat inadæquatè, hoc est penes aliquam formalitatem ac differentiam in se latenter clusam, & in quam potest, si non voce, at mente resolui: talis ergo differentia occulta hominis nullatenus equo similis, ac proinde entis formaliter exors nequit non admitti. Quæ huic argumento solutiones adhiberi solent, superius lib. 2. tract. 3. dilatae manent. Illud autem quacumque alia differentia suam habet vim & energiam: etenim animal quadantenus est simile & dissimile rebus inanimis, viuens non viuentibus, corpus incorporeis & substantia accidentibus: quare eorum differentiæ quas noscimus & nominamus, erunt resolutibiles in alias occultas, quæ ens nisi realiter sibi non vendicent, illudque ratione excludant.

29 Tertia probatio. Ens à differentiis suis (sive immediatæ sint, vt per se in alio, à se, ab alio vnum, verum, bonum, siue mediata ac remota, vt corporeum, & incorporeum, vitale, & non vitale, sensibile, & insensibile, rationale & irrationale) distinguitur virtualiter intrinsecè, & à fortiori virtualiter extrinsecè, seu ratione nostra, tum propter prædicata contradictoria paulo supra adducta, tum propter diuersitatem connotatorum, quæ nusquam non arguit distinctionem virtutalem, vt lib. 2. fusè ostendimus: ergo è contrario prædictæ differentiæ distinguuntur virtualiter ab ente: distinctio enim est relatio mutua & reciproca, quantumque vna res distinguitur ab alia, tantundem hæc ab illa è conuerso distincta euadit, sicut quam similis est Petrus Paulo, tam hic est similis illi è diuerso; idemque visum in dissimilitudine similitudini contraria, in æqualitate & excessu, propinquitate & distantia, atque aliis relationibus id genus: quando ergo eiusmodi differentiæ non distinguuntur virtualiter adæquatè ab ente, vtpote quod intimè ac penitus in se includunt, necesse vt ita ab eo distinguantur inadæquatè, adeoque delitescant in iis aliæ differentiæ, quæ quidem adæquatè virtualiter sint distinctæ ab ente, & quod consequens est, ab eo quidditatiuè non transcenduntur. Quo pacto, quia homo distinguitur inadæquatè ab animali, latet proinde in eo rationale vel aliud quidpiam adæquatè distinctum ab animali, & quod illud quidditatiuè excludit. Non me præterit, his argumentis forsitan fieri posse satis, admissio processu in infinitum plurium differentiarum, id quod indicant Scotus ac Suarez locis superius citatis, & ipse postremo capite huius tractatus latè exequat. Cæterum cum plerique auersarij infinitatem eiusmodi auersentur, nostratum rationum vim ægrè poterunt effugere. Quin etiam, concesso tali processu in infinitum, etsi defendi possit transcendentia entis, non tamen pura & sincera, qua de loquimur in præsentia, sed coniuncta cum quadam eius non transcendentia, vt quem polliciti sumus loco constabit.

30 Quarta probatio sit ad homines. Plures enim aduersarij censent, actum liberum Dei quo voluit orbem, v. g. moliri, ipsi non ex parte, sed ex toto esse intrinsecum ac realiter eundem: quo posito sic argumentor: entitas & perfectio eius actus non potuit Deo deesse, vt pro explorato habent ij quibuscum dimicamus, ne scilicet talis defectus sit non secundum quid, vt aiunt, sed simpliciter: eius vero terminatio libera ad obiectum creatum potuit ei deesse, Deo videlicet nolente mundum hunc fabricari: talis ergo terminatio libera merito dictæ contradictio nis prædicatorum distinguitur virtualiter intrinsecè ab entitate & perfectione sua: eam ergo quidditatiuè excludit,

excludit, eiusque transcendentiam refugit: at non excludit eam adæquatè, & secundum se totam, cum sit differentia quædam nominata, quæ quidditatiue nequit non esse ens reliquarum more: eam ergo inadæquatè ac tantum penes aliquid sui ablegat: aliquid ergo ei clam inest adæquatè distinctum ab ente, & quod intimè ab illo non transcenditur.

31 Argumentor quinto ad homines contra Thomistas complures, quibus celebre est renuere in Deo tres entitates aut perfectiones personales inuicem realiter distinctas. Hinc enim potest nostra assertio tali ratione concludi: entitas ac perfectio Dei, non solum absoluta & essentialis, de qua nullus in præfenti sermo, sed qualis ea cumque sit, haud est realiter triplex, iuxta hos auctores: at personalitates diuinæ, Paternitas nimirum, Filiatio & Spiratio passiva non sunt una realiter sed tres: distinguuntur ergo virtualiter ab omni entitate & perfectione, beneficio utique prædicatorum contradicentium quorum nuper meminimus: sed ita non distinguuntur adæquatè, propter id quod notiones relatiuæ in Deo sint intimè & quidditatiue entia ac perfectiones, non minus quam aliæ quæuis differentia nominata, de quibus cap. præced. sumus loquuti: tantum ergo inadæquatè & secundum aliquid in se inclusum, quod nullatenus sit virtualiter intrinsecè entitas ac perfectio, intelligenda est ea distinctio diuinarum personalitatum: Vnde in qualibet clauditur aliqua differentia ac formalitas innominata, quæ ut non est intimè & quidditatiue entitas ac perfectio, ita nec ab ente transcenditur.

32 Argumentor sexto aduersus connotatores; nam iuxta eos pereunte similitudine v. g. vnius albi cum alio, nihilominus tota eius entitas ac perfectio manet in fundamento, & cum termino ne ex parte deperit; similitudo igitur illa distinguitur virtualiter intrinsecè ab entitate fundamenti quam realiter includit: talis autem distinctio virtualis nequit esse adæquata, cum entitas sit quidditatiua similitudini, sicut & cuius conceptui nominato: debet ergo esse inadæquata, ac proinde similitudo illa est resolvable in aliquam differentiam occultam & nominis inopem, quæ entis inops etiam sit, illudque adæquatè excludat: ut enim superius doctum exemplo hominis & animalis, quælibet distinctio inadæquata vnius ab alio est coniuncta cum adæquata distinctione aliorum conceptuum magis simplicium.

33 Argumentor septimo. Ens abstrahitur ratione nostra à substantia & accidenti, non quidem adæquatè sumptis, seu penes omne id quod includunt, cum enim in eis clausum intimè sit ipsum ens, hoc à semetipso abstraheretur: ea ergo entis abstractio est à substantia & accidenti, quoad solas eorum differentias: porro non secundum eorum differentias nominatas, videlicet per se, & in alio, à se, & ab alio, adæquatè etiam sumptas aut penes omne in eis clausum, cum enim iuxta dicta capite superiori includatur intimè in eis ipsum ens, hoc non posset ita non abstrahi à semetipso: sit igitur talis abstractio entis à differentiis quibusdam innominatis, in iis, quæ nomen habent, latentibus. Quod si abstrahitur ens ab eiusmodi tacitis differentiis: haud ergo manet quidditatiue in illis; haud eas ratione transcendit: nam abstrahi ratione à differentiis quibusdam, & eadem ratione in illis manere, opposita sunt: sicut abstrahi physicè & per distinctionem realem ab alio, ac manere physicè & per identitatem in illo opponuntur: quemadmodum ergo nequit idem abstrahi seu distingui physicè & realiter ab alio, & adhuc manere & identificari physicè & realiter cum

illo, ita idem ens ratione nostra abstrahi à differentiis, & in iis ratione nostra & formaliter manere seu cum illis quidditatiue identificari non poterit. Porro autem ens abstrahi à substantia & accidenti, vnde tota præfentis argumenti series pendet, tract. seq. ad amussim demonstrabimus: interim hoc solum indicasse sufficiat omnis abstractionis fundamentum esse similitudinem, & convenientiam plurimum in ratione, quæ sita abstrahenda, nec alio nomine abstrahi posse animal ab homine & equo, v. g. nisi quoniam ambo sunt similes in animali. At substantia & accidens veram habent similitudinem in ratione entis, quandoquidem sunt propriè & simpliciter entia; quidni ergo ab eis vnus entis conceptus abstrahatur hoc argumento probari potest, non substantia modo & accidenti sed omnibus aliis rebus differentias aliquas latentèr inesse, quibus nihil sit cum ente commercij, quidditatiue loquendo, nulla cum eo rationis affinitas: quid enim est in tota rerum vniuersitate à quo ens non abstrahatur? Cæterum aliqui quorum supra cap. 1. meminimus, respondent negata abstractione entis: quorum tamen præter iam iam indicatam impugnationem, alias plures tract. seq. afferemus. Alij, quorum etiam capite illo primo nobis fuit mentio, concedunt ens abstrahi ratione à differentiis atque ab eis eadem ratione distingui, negant tamen distinctionem retrorsum valere. Sed in Dialectica impugnati à nobis sunt ex professo, & superior eorum reprehensio non minus habet efficacitatis quam breuitatis: etenim sicuti Petrus v. g. nequit esse realiter idem Paulo, eive similis aut dissimilis, æqualis aut inæqualis, propinquus aut distans, quin Paulus eosdemmet respectus ad Petrum habeat, eique vicem rependat, ita fieri nequit ut ens ratione nostra abstrahatur, ac distinguatur à differentiis vllis, quin hæc similiter ab ente distinguantur; proinde immerito, ac nullo quidem iure hæc posterior distinctio rationis, illa priori admissa, negatur.

Octauo argumentor ad homines, aduersus eos qui obiectiuam præcisionem formalitatum admittant. Si differentia quælibet entis, etiam occulta & proprij nominis inops, esset quidditatiue ens, quæuis etiam differentia animalis & siue nominata sit ac manifesta, siue sub hinnibilis, rationalis, aut alterius differentia similis nomine & vmbra lateat, esset ens quidditatiue: consequens est absurdum, ut aduersarij fatentur, & in Dial. lib. 9. tract. 5. multis offendimus argumentis; ergo & illud ex quo sequitur. Maior probatur; quoniam ideo omnis differentia entis, quantumvis abstrusa & recondita, iuxta aduersarios, est quidditatiue ens, quoniam est quidditatiue aliquid nimirum ens reale, vel ens rationis, aut negatio: cum ergo ens rationis aut negatio esse nequeat, restat ut sit quidditatiue ens reale: at hæc ratio si cuius est momenti differentiam omnem animalis quidditatiue animal esse persuadet: siquidem animalis differentia, quæ ea cunque sit, est quidditatiue aliquid, ergo vel ens reale, vel rationis, aut carentia: non ens rationis, aut carentia: ergo ens reale. Rursus, si ens reale, ergo vel substantia vel accidens, non accidens, ergo substantia: Præterea si substantia; ergo vel coporea vel incorporea: non incorporea: ergo corporea. Deinde si corporea; ergo vel viuens, vel non viuens; at non vitæ expers: ergo viuens. Tandem si viuens; ergo vel sensibilis vel insensibilis; ergo viuens sensibilis: cum igitur animal sit viuens sensibilis, manifeste quidem eodem argumento differentiam animalis esse quidditatiue ratione animal concluditur: quod cum falsum sit, & differentiam omnem entis esse quidditatiue ens, nihil verisimilitudinis, nedum veritatis habebit.

Qui

Qui autem respondent differentiâ animalis esse quidditatiuè ens ac fortassis substantiam, cæterum nec corpoream aut incorpoream, viuentem aut vitæ expentem, &c. Nisi ad summum realiter: proinde non quidditatiuè, sed duntaxat realiter eam animal esse, in-
ternum prorsus largiuntur: siquidem substantia tam immediate diuiditur incorporeâ & spiritualem, quam sunt immediata ens reale & solius rationis ac negatio; sicut ergo differentia animalis: v. g. hinnibilitas aut potius alia in ea latens, quamuis non realiter at virtualiter & quidditatiuè mediat inter corporeum & spirituale, ita quæ in perfectitate latet vltior differentia mediare poterit inter negationem, ens reale, & solius rationis, quidditatiuè saltem & virtualiter, quod solum intendimus.

35 Argumentum non ad homines etiam, contra non paucos eorum qui præcisiones obiectiuas negant. Quidquid enim sit an differentia notæ ac nominatæ animalis, videlicet rationale, hinnibile, sint quidditatiuè animal, & ab eo transcenduntur vel non, de quo in Dialect. lib. 9. inter agendum de tertio perdicabili, sanè latent in iis aliæ innominatæ quæ non sint quidditatiuè ratione animal: hoc ad minimum fatentur aduersariorum complures: perperam ergo & inconsequenter simile quiddam de ente diffidentur etenim si qua de causa ens potius quam animal omnes omnium differentias sibi subiectas intimè transcenderet, maxime quia animal respicit diuersa connotata, ab iis quæ rationale, ac merito illius homo, respicit; videlicet sensationes, quæ à discursu hominis siue animalis rationalis proprio distinguuntur, ens vero, eadem connotata quæ substantia & accidens, in-
tuetur: hinc enim est vt in homine & rationali appareat vel certè lateat aliquid quod non sit quidditatiuè animal, substantiæ vero & accidenti eorumque differentiis nihil implicite vel explicite infit, quod rationem entis subterfugiat, nec ab eo transcendatur: ita P. Hurtadus disp. 2. Metaph. 5. 2. & cum eo non pauci.

36 Ast hoc discrimen nullum prorsus esse suadeo: quoniam distinctio rationis conceptus communis à suis inferioribus per diuersa connotata male explicatur: sed non transcendentia conceptus communis in eius distinctione rationis à suis inferioribus sita est: quod ergo animal non transcendat intimè quicquid est in speciebus & differentiis sibi subiectis, perperam in connotatorum diuersitatem veluti causam adæquatam refunditur, adeoque tamen ens non respiciat diuersa connotata à substantia & accidenti, nihilominus poterit ea non transcendere. Minor ex dictis hoc capite constat: eo namque probatum est, abstractionem ac distinctionem rationis, vnus ab alio reciprocum esse, ac fieri non posse vt conceptus communis distinguatur & abstrahatur à differentiis, quin hæc inuicem ab illo sint tantundem distinctæ: distingui autem ab illo quidditatiuè est ab eo non transcendendi: merito ergo docuimus, distinctionem rationis communis à suis inferioribus cum eius non transcendentia coherere, & hanc in illa sitam esse. Maior autem lib. 8. Dialecticæ tract. 5. fusè à nobis probata est. Interim sic breuiter arguo, eamque confirmo: connotata equi propria sunt eius specificæ sensationes, quas nomine hinnitus communiter explicamus: at ea rationem communem sensationis realiter, & verè participant: animal ergo & equus eiusque differentia essentialis, eadem reipso connotata & non alia atque alia respiciunt, videlicet sensationem in communi & sensationes quasdam speciales sub ea contentas: & tamen animal abstrahitur ac distinguitur ratione ab equo & hinnibili: quare ab-

stractio ac distinctio rationis conceptus communis à suis inferioribus insufficienter admodum explicatur per distincta realiter connotata, quorum altera ab his, altera ab illo inspiciantur.

37 Rursus idem discrimen oppugno: quoniam satis falso asseritur, ens respicere eadem connotata quæ substantia & accidens: siquidem ens nulla connotata à se realiter distincta intuetur, ad modum, quo animal ac rationale sensationes & discursus connotant: aut enim ea connotata sunt entia, & ita non tam connotata entis ab eo distincta, quam ens dici debent: aut sunt carentia vel chimæra, & hæc dici nequeant entis connotata: si enim conceptus explicitus entis carentiam aut chimæram connotaret, ens per carentiam & chimæram explicari posset & deberet; quo pacto explicari solet homo respectu sensationum & discursuum, quia eius primarius conceptus, videlicet animal rationale, hos effectus connotat: sed ens per ordinem ad carentiam & chimæram minimè consuevit explicari, sed potius è conuerso, hunc in modum; carentia est sublatio entis, chimæra eius fictio, vtrique autem communi vocabulo non ens, entis tamen instar & ymbra: cuius ratio est, quoniam conceptus entis notissimus & chimæra atque carentia ignotissimus est: proinde magis est, vt hæc per illud, quam per has illud, exponantur.

38 Quod si vel hinc transcendentiam entis quis inferat, eo nimirum quod ens nulla atque adeo nec diuersa connotata respiciat, cum tamen diuersitas connotatorum sola transcendentia obesse videatur, is facile poterit ita refelli: habere aliqua connotata & habere alia diuersa transcendentiam tollit, vt in animali connotante sensationes, & rationali discursus, cernere est: haud enim quidquid est in rationali animal quidditatiuè claudit, imo iuxta aduersarios nihil rationalis ita illud includit: quamobrem à fortiori nulla connotata habere, & aliqua habere, transcendentiam de medio tollit: at ens nulla connotata à se realiter distincta respicit, & eius differentia per se & in alio rationale & hinnibile atque alia id genus nonnulla respiciunt: hoc igitur satis superque erit, vt ab ente non transcendatur.

39 Decima illius tertie assertionis probatio. Proprium, verbi gratia, vltimus conceptus risibilis non prædicatur in quale quid, hoc enim est solius tertij prædicabilis, siue differentia essentialis, vti omnes in confesso habent: proinde tantum ei conuenit in quale per se prædicari: at non posset in quale quid non prædicari, si ens quidditatiuè clauderet: id igitur ita non claudit proprium, seu quantum prædicabile, non quidem se toto sumptum, & quatenus à nobis noscitur ac nominatur, nam ita ab ente intimè transcendendi, & exemplo risibilis, & multis aliis argumentis cap. præced. statuimus, sed ex parte sumptum, & penes vltimum quendam, ac innominatum conceptum, in quem potest mente resolui. Huiusmodi ergo conceptus impliciti & latentes, entis prorsus vacui & eius transcendentia immunes, non possunt non admitti. Nulla huius argumentationis propositio indiga probationis est, nisi conditionalis illa qua asseruimus proprium necessario prædicatum in quale quid, si ens quidditatiuè includat: eam itaque sic suadeo: proprium prædicatur in quale, iuxta omnes: deinde si includat ens non poterit non prædicari in quid, cum ens cuiuslibet rei sit quidditatiuè & essentialis, vt quod maxime: proprium igitur copia sui facta enti, eoque incluso non in quale tantum, sed in quale quid prædicabitur: quo tamen nihil dici potest in arte dialectica inficitus.

40 Undecimum eiusdem assertionis probamentum. Datur aliqua ratio conuenientiae simpliciter simplex, hoc est talis, quae nullam differentiam intimè includat, sed potius ab omni abstrahatur, videlicet ens in quo omnia sic conueniunt, ut de eius quidditatiuo conceptu nulla sit differentia, vel proxima, cuiusmodi est, per se, in alio, à se, ab alio, vel remota, ut corporeum, incorporeum, viuens, vitæque expertum, sensibile, & insensibile, rationale, hinnibile, &c. Sed potius quælibet harum ac similitudinum differentiarum sit extra illud, nec nisi foris ad se delata: quocirca fieri potest, ut totam entis quidditatem concipias, & ab iis omnibus nihilominus abstrahas, earumque non recorderis. Pari ergo iure dari debet aliqua differentia simpliciter simplex, id est omnis conuenientiae formaliter experta, ac proinde à conceptu entis, in quo cuncta conueniunt, quidditatiuè non transcensa, sed eius immunis: eiusmodi autem differentia nequit esse aliqua earum, quas nouimus & appellamus: ergo innominata, sicut tertio loco asseruimus. Nihil huic argumento commodius responderi potest, quam ens abstrahi non posse à differentiis suis, ac proinde eius conuenientiam simpliciter simplicem. Siue puram nullatenus esse: quam tamen incommoda sit hæc ipsa solutio, & quam certa atque explorata entis abstractio, tum paulo supra quasi per transennam prætereuntes strictim vidimus, tum tract. seq. latius demonstrabimus.

41 Duodecimum probamentum. Perseitas, v. g. est quidditatiuè & formaliter ens: sed non est ita ens præcisè: ergo est ens & aliquid aliud: latet igitur in perseitate aliquid quod non est formaliter ens, nec ab eo transcenditur: quidquid enim est aliud ab ente, hoc ab eo nequit non quidditatiuè distingui, nequit intimè transcendere: nisi in alio aliud vltius consideres, & in secundo etiam alio non sistas, nec in tertio aut quarto, sed in infinitum progrediaris, quem tamen progressum sine fine quousquisque aduersariorum admittit: Maior huius argumenti cap. præced. satis probata manet. Minor probatur: quoniam substantia differt ab accidenti, quatenus est per se: sed non differt ab eo quatenus est præcisè ens: perseitas ergo non est præcisè ens. Vel paulò aliter: si perseitas esset præcisè ens, & similiter inhaerentia accidentis propria, quam hac particula, *in alio*, consueuimus explicare, foret similiter præcisè ens, profecto ambæ non differrent inuicem, sed essent omnino similes, veluti si rationalitas esset præcisè animalitas, & nihil aliud quidditatiuè, ac similiter hinnibilitas, nihil discriminis ambæ haberent, nihil in hominem & equum refunderent: quid enim est, in quo differant, quid, in quo differre faciant duæ animalitates præcisè tales? Quod autem differuimus de perseitate, id in omni alia differentia locum habet: nulla enim est seu proxima seu remota, seu essentialis, seu accidentalis & attributaria, quæ sit præcisè ens, nulla quæ non sit consequenter ens & aliquid aliud.

42 Decimum tertium probamentum. Ens facit aliquam compositionem, seu complexionem cum differentiis suis: at partes cuiusvis compositiones mutuo distinguuntur: ens igitur & eius differentia non possunt mutuo non distingui. Huiusmodi autem distinctio reciproca nequit esse realis, ac summa, ut & omnes fere aduersarii supponunt, & infra constabit: quamobrem erit quidditatiua, & solius rationis: tam igitur differentia entis distinguuntur ab eo quidditatiuè, quam ens ab illis: hoc enim est talem distinctionem reciprocari: haud ergo ens quidditatiuè includunt, haud ab eo intime transcenduntur. Atqui differentia nominata, ac nota entis ita se respectu

illius neutiquam habent, ut cap. præc. vidimus: admittenda ergo sunt alia innominata & recondita, quæ sic ab ente formaliter exulent. Major argumenti nostri negatur à P. Suarez d. 2. Metaph. l. 6. num. 7. & P. Hurtado disp. item 2. metaph. l. 4. §. 3. 4. atque à multis Thomistis: aiunt enim, substantiam v. g. non esse conceptum compositum ex aliis duobus, ente nimirum & differentia, sed conceptum quandam obiectuum indiuisibilem atque in plures irresolubilem, eum tamen qui sit magis expressus ac determinatus, quam superior conceptus entis: cæterum hæc doctrina refelli, & Major nostra probari haud ægre potest: nam quorsum definitur substantia ens per se, quorsum nominibus explicatur diuersis, nisi ut istiusmodi diuersitas & compositio nominum rem eis subiectam Logice ac ratione diuersam compositamque esse significet, vltimumque cōceptum obiectuum perfectatis enti superaddi, & cum ea substantiam constituere: Rursus materia prima, hoc ipso quod sit snape natura realiter ac Physice incompleta, nequit compleri Physice ac realiter, nisi facta eius aliqua compositione & coniunctione reali cum forma, quæ sibi superueniat: ens autem sponte sua ac per se est incomplementum Logice ac ratione nostra, ut pote quod à cuiusvis differentia complemento abstractum ac præscisum esse, & pluribus cum P. Suar. & P. Hurt. Nuper citatis in confesso est, & à nobis tract. seq. Latius ostendetur: nequit igitur Logice compleri aut in substantiam euadere, nisi facta eius compositione & coniunctione Logica ac rationis cum differentia, quæ sibi superueniat: alioqui profecto materia prima posset homo v. g. reddi, & substantialiter compleri, quin animæ rationalis aut alterius formæ sibi fieret accessio aut coniunctio, ut iam dictum. Denique si substantia est quidam indiuisibilis conceptus obiectiuus, omnisque compositionis Logicæ experta, ens tamen quidditatiuè inuoluens & ab eo prorsus indistinctus, est è contrario ens ab illa abstrahi & ratione distingui oporteat, ut vel complures aduersariorum fatentur, & à nobis nuper perstrictum, & suo loco fusius probandum est: iam ergo distinctio rationis inter ens & substantiam haud erit mutua ac reciproca, haud retrorsum valebit: cuius tamen oppositum, supra at multis exemplis ostendi, id ipsum in tempore magis ex professo ostensurus.

43 Quapropter alij apud P. Suarez supra disp. 2. Metaph. l. 6. num. 3. negant minorem argumenti nostri, aiuntque ens componere posse cum differentiis suis substantiam & accidens, quin eius ab eis distinctio sit reciproca & è conuerso, hoc est quin uti ens à differentiis, ita hæc ab illo distinguantur, sed potius illud intimè includant: satis enim superque esse distinctionem non mutuam nec conuertibilem, ad eam compositionem, quippe quæ solius rationis est. At haud magis placet hæc solutio: quare ea reicitur, ac minor nostra suaderetur. Primum quia distinctio rationis non mutua & inconuertibilis ubique repugnat, ut sæpe sæpius datum, hic ergo perperam obtruditur: Secundò, quia ut solito acumine arguit Scotus supra in 1. dist. 3. q. 3. partes compositionis Physicæ, & realis, nempe materia, & forma, hominis, aut equi, alteriusve entis naturalis, ita institutæ sunt, ut realiter distinguantur, non quomodocumque, sed mutuo & è conuerso, quantumque materia à forma tantundem hæc ab illa similiter ergo partes compositionis Logicæ ac solius rationis ita institui debent, ut earum distinctio Logica sit mutua & conuertibilis: equidem sicut vna compositio seruat proportionem cum alia quoad distinctionem partium suarum, non est quapropter eam etiam non seruet, quoad eiusdem distinctionis

inctionis reciprocationem. Tertio, quia, vt optime arguit P. Suarez relata sect. 6. num. 6. doctrina huius solutionis minori nostrae ex diametro opposita, inconsequens est, nec sibi satis cohaeret: namque admittit perfectatam, aut certe vltimam eius rationem, quantum sit indiuisibilis conceptus, & in plures irresolubilis, nihilominus contrahere ens, illudque diuidere ab accidenti, atque in se intime & quidditative complecti; quidni ergo substantia tota pari iure sit indiuisibilis conceptus, omnisque compositionis exors, vt vt ens contrahat, diuidat, ac formaliter complectatur: quae oro maior compositionis in vno euentu quam in alio necessitas?

44 Haecenus probata est, vt potuimus, tertia assertio nostra. Quarta erat, quod diximus differentias simpliciter simplices & innominatas entis ab eo intime & quidditative non transcendendi, haud ita intelligendum esse, quasi ab illo distinguatur formaliter ex natura rei, aut solū extrinsecum: nam priorē distinctionem vbiuis, & posterioreem activiuis aut certe inter gradus superiores & inflexiores repugnare, tum in dialect. l. 8. tr. 5. tum hoc opere lib. 2. tract. 4. fusē ostendimus: quocirca relinquitur vt ea distinctio sit virtualis intrinseca, vt admonuimus. Quinta, ac postrema, assertio nostra erat, relationem praedicamentalem similitudinis, aut aliam quamuis id genus, haud ita comparatam esse, vt cum sit realiter idem fundamento soli, neutiquam tamen possit ab eius entitate virtualiter intrinsecē transcendendi, sed potius ei adesse & abesse queat pereunte & accedente termino. Cuius etiam assertiois aduersus connotatores probatio fusē à me tradita est supra lib. 3. huius operis tract. 6. cap. 2. 2. Quocirca ea praetermissa argumenta meam contra sententiam hucusque explicatam, ac probatam aggredior.

C A P V T V.

Argumenta aduersus duas priores nostrae sententiae partes dissoluntur.

45 QVONIAM duae priores nostrae sententiae partes & assertiones cap. 3. & 4. statuta adē inuicem cohaerent, vt vna includatur in altera, & prior sit propositio subalternata, & posterior subalternans, idcirco quae aduersus ambas militant argumenta confuso, ac mixto agmine proferemus. Primum eorum esto: Substantia definitur ens per se: ergo per se, quae est differentia nominata non est quidditative ens, contra quam prima & secunda assertione docuimus: antecedens inter omnes exploratum; consequentia suadet: quoniam aliās ens de substantia bis diceretur, semel quidem secundum se ac seorsim, & iterum prout in differentia per se quidditative, & formaliter inclusum: quocirca definitio substantiae esset inutilis & nugatoria. Quo pacto dixit Aristot. 7. metaph. text. 43. nugacem ac malam esse hanc definitionem bipedis, bipes est pedes habens, duos pedes habens, nimirum quia in ea idem frustra repetitur ac bis enunciat. Respondet Auerſa quaest. 13. log. sect. 6. quoties idem iisdem etiam verbis ac terminis bis praedicatur de definito, definitionem esse nugacem ac reiciendam, secus vero, si idem distinctis verbis ac per plures terminos de suo definito bis dicatur: at definita substantia, per hoc quod sit ens per se, ens de ea bis dici, sed nulla facta repetitione eiusdē verbi, cum tamen in definitione bipedis ab Arist. explosa, non eadem modo res, sed verbum & iam idem repetatur. Contra tamen: quoniam si quis ita definiret homi-

nem, *homo est animal principium sentiendi, ac rationale principium discurrendi*, manifestam nugationem committeret: & tamen non easdem voces repeteret, sed diuersis vocibus eandem rem. Respondet secundo ibidem nullam committi nugationem, nullam inutilem repetitionem, quando idem bis dicitur non eodem, sed diuerso modo, prius nimirum in communi, & postea in particulari, aut è conuerso (id quod etiam antea docuit Soncinas septimo metaph. quaest. 37. ad 3. & Scotus in primum dist. 3. quaest. 3. §. dico quod quando vna inferiora): cum ergo in definitione substantiae idem ens de ea dicatur, prius in communi, ac postea in particulari, aut prout contractum intimē & quidditative ad differentiam per se, nil mirum esse, si definitio illa substantiae neutiquam sit nugax & inutilis. Sed contra: quia si quis ita finiret hominem, *homo est viuens animal rationale*, citra dubium censeretur nugari, videlicet propter repetitionem viuētis, & tamen illud non repeteret nisi dissimili modo, ac prius in communi, & postea in particulari, atque prout contractum ad animal, in eoque tacite clulū: quod ergo de substantia bis dicatur ens, at non eodem modo sed diuerso, scilicet in communi & in particulari, hoc non tollit, quominus nugax sit ea substantiae explicatio, seu finitio.

46 Verior ergo propositae difficultatis solutio est, perfectatam dupliciter sumi posse & solere: primo secundum se & absolute, atque ita eam intimē complecti tam ens, quam etiam ei superadditam differentiam, nimirum propter rationes, quas cap. 3. expendimus: secundo, prout additur huic particulae, *ens*, & merito talis additionis restringitur ad solam differentiam, alioqui innominatam, enti superadditam, sic vt pro ea tantum supponat, atque ens neutiquam significet: nihil enim vitatum magis, nihil vel dialecticam à limine salutantibus notius, quam vnā orationis particulam ab alia restringi posse à maiori ad minorem significationem, quo pacto haec terminorum complexio, & alterius alteri additio, *vir catholicus*, verbi gratia, facit vt prior terminus non significet viros acatholicos & infideles, quos tamen absolute sumptus vi sua comprehenderet. Quae cum ita sint, haudquaquam de substantia bis dicitur ens, haud vllatenus repetitur, quando ens per se definitur: nam particula illa, *per se*, adiuncta enti ab eo restringitur, ne nisi solam differentiam implicitam substantiae exprimat, si tamen absolute ac seorsim fumeretur, ipsum ens proculdubio significatura: hoc autem posterius sufficit vt *per se* sit ens quidditative, illud vero prius ne sit vlla entis geminatio vllāe nugatio, cum substantia ens per se definitur.

47 Secundum argumentum, & prioris confirmatio: substantia definitur ens per se: ergo per se additur enti, illudque contrahit, sicut quia homo definiri consuevit animal rationale, animal per rationale iuxta omnes contrahitur: at nihil semetipsum contrahit, nihil nisi aliud à quo distinguatur: perfectas ergo non est quidditative ens, sed aliud ab eo. Respondent aliqui, ens completum non transcendere differentiam per se nec ab ea quidditative claudi: proinde illud ab ea contrahi ac determinari posse: ceterum ens incomplete sumptum intimē includi in differentia per se, nec fieri consequenter posse, vt haec illud contrahat, vel terminet, quae est vtriusque mutua, ac summa indistinctio.

48 At refellitur haec solutio: quoniam differentia per se non contrahit id quod constituit, quemadmodum rationale non contrahit hominem sed animal: at ens completum constituitur per differentiam per se aliamve

aliamve similem, eiusmodi ergo differentia illud non contrahit. Deinde differentia nequit constituere id quod contrahit, quia ratione rationale, animal, quod contrahit, hoc ipso non constituit: sed differentia, *per se*, contrahit ens completum, cum in completum à se indistinctum contrahere nequeat: illud ergo constituere non poterit, ac proinde nullum ens; si quod enim maxime completum: quocirca perfectas nec aliquid constituere, nec aliquid contrahere, prout ad veram differentiam oportet, vllatenus poterit. Rursus tertio; cum definitur substantia ens per se, perfectas contrahit illud ens quod sponte sua abstrahitur à substantia & accidenti, eiusque nonem generibus, scilicet quantitate, qualitate & ceteris, deque iis ex æquo potest enunciari, sicut quando homo definitur animal rationale, rationalitas contrahit illud animal, quod superius est homine & bellua, ac de ambobus prædicabile: at ens completum non est ratio superior & essentialis respectu substantiæ, & etiam accidentium, neque de illis ex vero affirmatur: quamvis enim substantia, si sit completa, atque in serie prædicamentali directe collocata, sit eo ipso ens completum, tamen si sit incompleta atque iudirecte solum in prædicamento substantiæ constituta, quo pacto se habet materia prima & forma eiusdem ordinis, nullatenus dici potest ens completum, ut etiam aduersarij in confesso habent, & vel res ipsa clamat: vnde à fortiori accidens omni substantia incompleta longo imperfectius intervallo nequit dici ens completum: hoc ergo in definitione substantiæ non est quod perfectas contrahit, contra quam adducta solutio adstruit ac supponit.

49 Tandem: ens abstrahi potest, ac solet à completo, & incompleto, & postea per vtriusque differentias contrahi, hoc enim cum eo priori necessaria ratione coheret: sicut ergo differentia entis completi constitutiva ens in communi ad illud & ad se contrahit, quin ratio ita contracta sit ens completum, sed potius abstrahatur sponte sua ab ente completo & incompleto ac sit utroque superior, ita similiter intelligi & explicari optime poterit, perfectatem contrahere ens absque eo quod ratio per eam contracta debeat esse ens completum. Quod si hoc posterius nequit admitti, illud prius manebit prorsus inintelligibile, quatenus videlicet differentia entis completi aut etiam incompleti contrahat ens in communi, quin hoc ante contractionem completum aut incompletum sit. Quamobrem, ut recte monet P. Suarez supra disp. 2. metaph. sect. 3. num. 14. quas hæc solutio, cuius impugnatio præ manibus est, difficultates nititur euitare in differentiis substantiæ & accidentis, eas omnes incurrit in ipsis differentiis entis completi & incompleti, si modo hæ ab illis omnino distinguuntur; ac non potius perfectas & inhærentia, ut complent ac perficiunt ens, ita etiam ens completum quodammodo constituunt, si non physice seu re ipsa at logicè eiusmodi: sicut enim diu est compositum physicum & reale, ac logicum seu solius rationis, quidni etiam ens completum? proinde, ut animaduerti, ea solutio scyllam egressura, relabitur in charybdem.

50 Alij secundo respondent, ens distingui quidem ratione à differentia, per se, quia sine illa concipitur, differentiam autem non distingui ab ente, quia sine illo non concipitur, atque hanc distinctionem rationis irreciprocā sufficere, ut perfectas ens verè contrahat. Sed hæc solutio satis superque impugnata est superius: tum quia quorsum substantia definitur ens per se, si ipsum *per se* est quidditativè & *per se*, & etiam ens adeoque tota substantia? nulla certè probabili de causa, nisi ad restrictionem perfectatis, eiusque

in quodam sensu distinctionem ab ente nobiscum recurrant aduersarij, contra quam polliceantur; tum etiam quia forma physica non contrahit physice materiam, nisi ab ea sit realiter distincta & conuerso: forma ergo logica, cuiusmodi est differentia per se, nequibit logicè contrahere ens in communi, nisi vtriusque distinctio rationis admittatur, eaque reciproca: tum denique ob aliarum relationum exempla quas ferme omnes esse mutuas constat, omnes inquam quibuscum distinctio rationis aliquam habet proportionem, veluti distinctio realis, dissimilitudo, inæqualitas, distantia, &c. ut ergo hæc sic etiam illa necessario debet esse mutua, atque alterna. Quas tres rationes, etsi supra propositas, in præsentia ramen breuiter recolere non piget, cum non minus ad hoc quam ad illud sint institutum accommodatæ, ac necessariæ.

51 Occurres ergo propositæ difficultati, perfectatem adiunctam enti, ut illud restringit, sic etiam ab eo vicissim restringi ad solam differentiam significandam, quam tamen absolute sumpta ac sui manens iuris solam non significaret, ut supra explicatum est; eam ergo sic restrictam & distingui ab ente, & consequenter illud contrahere, sicut ad veram eius differentiam oportet. Quod si vrgeas, satis fore substantiam definire per solam perfectatem, nulla huius voculæ, *ens*, additione facta (ita enim constaret, eam ens per se esse) quam per duplicem illam particulam, quæ quidem non necessaria sunt ac nihil amplius quam *per se* significant: in promptu est solutio, duas illas voces, *ens*, *per se*, denotare distinctionem entis & perfectatis, atque vnus contractionem per aliam; cum tamen solum *per se* vel nullo modo indigiter, vel certè non adeo significanter aliam talem distinctionem & contractionem, sed duntaxat terminos ipsos inuicem distinctos & commissos. Quapropter non immerito, nec ex abundanti substantia ens per se definitur.

52 Tertium argumentum, vnde etiam duo superiora robur & lucem accipiant, necnon proxima data solutio impugnabitur. Substantia definitur ens per se: non igitur est solum per se, sed potius per se & substantia distinguuntur; neutiquam autem possent distinguui sed potius essent omnino idem, si per se foret ens quidditativè: ecquid enim est substantia nisi ens per se? at etiam per se, est ens per se; *per se* quidem ut constat, *ens* quia hoc est ei quidditativum & essentialiale, & in illo intinè includitur.

Qui censent per se nusquam, & nunquam non esse ens quidditativè, haud eodem omnes modo satisfacere nituntur prædictæ difficultati, & perfectatis à substantia distinctionem assignare. Aliqui ex P. Suarez citata disp. 2. metaph. sect. 6. num. 4. respondent, quamvis substantia sit ens per se, & ipsum per se etiam sit ens per se; aliter tamen & aliter, quia substantia est ens per se, non sine compositione quadam intentionali seu logica entis ac perfectatis: at per se est ens per se simplicissimo quodammodo, & absque plurium compositione conceptuum. Sed enim admissio, perfectatem esse quidditativè ens, eam simul cum hoc constituere non posse substantiam satis efficaciter, nisi fallor, probatum manet cap. 4. præced. inter euertendam secundam decimi tertij argumenti nostri solutionem. Neque vero necesse est ibi dicta hic iterum inculcare.

53 Alij secundo ex eodem P. Suarez loco proximè citato docent substantiam esse ens per se, & ipsum per se esse quoque ens per se; sed dissimili modo: illam enim esse ens completum per se, hanc vero ens incompletum per se ac proinde non eiusdem cum substantia

substantia rationis. Verum hæc solutio, quæ nihil aliud quam percontractionem entis completi factam à perfectitate substantiam explicat, hoc ipso c. s. Inter impugnandam secundi argumenti primam solutionem vna quidem opera eademque impugnata est. Deinde ibi posita impugnatio paulo aliter instauratur, atque ad præsens institutum accomodatur: nam aut sermo est de ente completo Physice, cuiusmodi est compositum ex materia & forma, v. g. homo: aut de ente completo Logice de ratione nostra, quale est compositum ex gradu superiori & inferiori & veluti genere & differentia, quo pacto res Physice incompleta complementum admittit: si primum; non satisfacit: namque substantia ut sic, & prout abstracta ab incompleta & completa Physice, definitur ens perfectus: at non ens completum hoc priori modo: haud ergo à differentia per se vllatenus distinguitur, cum tamen additio perfectitatis eiusque cum ente coniunctio talem distinctionum prodat atque coniungat. Rursus: nullum accidens est Physice completum, sed suapte natura incompletum, ac pars alicuius concreti accidentalis: qua ergo ratione differentia accidentis videlicet in alio non erit accidens? vtriusque enim distinctio rationis renouari nequit in id quod accidens sit ens completum in alio Physice loquedo, eius vero differentia ens in alio duntaxat incompletum: difficultas ergo non tollitur sed summum à substantia ad accidens transfertur. Sin autem secundum: haud etiam magno opere confutatur: etenim idcirco substantia est ens logicè completum ac perfectum, quoniam includit non solum ens sed etiam perfectionem perfectitatis: atqui etiam per se includit præter ens perfectionem illam per se existendi, & multo explicatius ac formalius quam substantia, quæ eam duntaxat implicite cohibet: tam igitur differentia per se erit ens logicè, vel, ut alij loquuntur, metaphysicè completum, quam ipsa substantia. Quod si replicent aduersarij, per se, includere & ens & perfectitatem, sed sine vtriusque compositione, cum tamen ea compositio in substantia reperitur; præterquamquod hoc cap. præc. ad eius finem satis efficaciter conuictum sit falsitatis, nihil ad præsens institutum refert: quoniam sicut cælum, si, ut plures censent, est corpus simplex, nihilominus est corpus realiter ac physice completum, quia perfectionem formæ ac materiæ sine vtriusque distinctione aut compositione habet; & quemadmodum Angelus, omnis etiam compositionis ex materia & forma proculdubio expers, tamen est ens reipsa completum; ita similiter nihil prohibet differentiam, per se, esse ens logicè completum, tamen non quemadmodum substantia per compositionem, sed seorsim ab illa, perfectionem entis & perfectitatis intimè complectatur.

54 Tercio alij paulo aliter respondent, duplicem esse substantiam, videlicet completam & incompletam; ac perfectitatem esse distinctam à priori substantia, secus vero à posteriori. At hic etiam locum habet obiectio nuper proposita: nam substantia ut sic definitur ens per se, vnde non est solum per se, sed nonnihil à perfectitate distinctum: hæc autem distinctio explicari nequit, per hoc quod substantia ut sic completa sit, & eius differentia per se substantia incompleta: etenim substantia ut sic perfectitate constituta ab omni complemento & incomplemento physico abstrahitur, neutrumque inuoluit: quod si propterea ad logicum complementum recuratur, non apparet, cur perfectitas non sit substantia logicè completa, sicut id quod constituit, quando ens & perfectionem perfectitatis intimè cohibet.

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

Quid? quod authores huius solutionis, non pauci saltem, tueantur genus non includi quidditatiuè in superaddita sibi differentia, verbi gratia, animal in hinnibili: possent autem non male, distincto duplici equo, alio incompleto, videlicet hinnibili, solo, ac per se sumpto, alio completo, quod animal hinnibile definiri consuevit. At hos duos equos, quorum alter sit completus, alter incompletus, vterque tamen propriè & simpliciter equus, hos inquam duos in vnum congestos antiquis similes monstris & fabulis quam veræ philosophiæ propiores iudicant, & quidem merito: quorum ergo substantiam omnem monstrosa quadam geminatione in duas partiuntur? Atque propter hoc fortassis argumentum, qui secundam solutionem nuper relatum & reiectam tradidere, concessio differentiam substantiæ esse ens per se incompletum, eam tamen veriti sunt substantiam etiam incompletam appellare. Quo autem iure, qua doctrinæ consequentia, ipsi viderint: etenim ego satis difficile percipio, cur nam, ens completum per se, sit substantia completa, ut eis est in confesso, & ens incompletum per se nequeat esse substantia incompleta, adeoque absolute substantia, propterea quod ei definitio substantiæ ut sic, videlicet ens per se, conueniat: quo pacto aqua v. g. partialis, & incompleta nihilominus veram & absolutam aquæ rationem sortitur.

55 Clarior ergo & expeditior obiectionis solutio me iudice est, bifariam oportere sumi hanc vocem, per se, iuxta dicta atque etiam repetita superius: primo prout significat formaliter tam ens quam eius differentiam, quod contingit, cum solitarie profertur, & ab entis notione non restringitur: secundo, prout significat solam differentiam enti superadditam, quæ alioqui nomine sibi proprio & peculiari caret, adeoque commune aliquando usurpat: quod quidem tum euenit, cum adiungitur huic voci ens, & ab ea coeretur. Prius ergo significatum eius vocis per se, illudque ei adequatè respondens, est quidditatiuè ens, adeoque substantia, quin vlla vtriusque distinctio intercedat: huius autem contrarium ratio opposita nequaquam probat, nam perfectitas ita sumpta non additur enti, nec simul cum eo substantiam definit, vnde solum vtriusque distinctio poterat argui. Quod si in istis, eo ipso satis esse, si substantia definiatur per solam perfectitatem, cum hæc ab illa sit omnino indistincta, & enti per se æquipolleat; dicendum uti supra æquipollere quoad terminos ipsos, non vero quoad eorum compositionem, quam profecto sola perfectitas haud ita distinctè & explicatè, uti ens per se, importat. Addendum etiam est, sicut homo est quidditatiuè animal rationale, quin illud expresse includat, sic etiam iuxta non paucos perfectitatem posse esse ens quidditatiuè, quin seu voce, seu mente illud explicite, & non magis implicite ritu ipsius substantiæ, inuoluat: quod si ita est, nil mirum si substantia præter perfectitatem ens etiam suæ definitioni postulet inferi; quæuis enim definitio duas rationes expressas alteram superiorem, alteram inferiorem cohibet. Posterius autem & inadæquatè significatū huius vocis, per se, non est quidditatiuè ens, nec cōsequenter substantia; atque hoc argumento contrario libenter damus: propterea vero nullius inconsequentie possumus insimulari, quam enim differentiam inficiari sumus esse quidditatiuè ens, eam solius nominis proprii expertim asseruimus, non vero nominis, quod sibi cum ente cōmune sit, ut infra latius exponemus. Proinde quod modo dicimus, perfectitatem restrictam & inadæquatè sumptam haud esse quidditatiuè ens, optimè coheret cum superiori doctrina nostra, qua & perfectitatem & quamuis
Y aliam

aliā differentiam nominatam scilicet adæquatē sumptam intima ratione ac penitus transcendendi ab ente statuiamus.

CAPUT VI.

*Argumentorum contra easdem assertiones
ulterior solutio.*

56 **I**llud etiam aduersus duas priores assertiones nostras superius positas non mediocrem difficultatem ingerit, quod non pauca rationes quibus probauimus, differentias occultas, ac innominatas entis formaliter expertes esse, hoc ipsum de apertis, ac nominatis probare videantur. Quocirca sit quartum contra nos argumentum huiusmodi. Aliquæ rationes communes nominatæ, cuiusmodi sunt ens, res &c. non includant quidditatiuè differentiam vllam, sed ab omni præscinduntur, ac sunt rationes conueniendi simpliciter simplices: ergo è conuerso aliquæ differentia, non innominatæ & occultæ, vt superius perperam inferebamus (quæ enim est harum cum superius rationibus conueniendi, iisque notis & nominatis recta comparatio?) sed apertæ ac nominibus suis distinctæ, eius erunt genij, vt conceptum entis aut rei aliamve conuenientiam intimè & quidditatiuè non cohibeant, contrā quam c. 3. asseruimus. Respondeo, quod rationes communes entis & rei nullam differentiam penitus & intimè inuoluant, argumento esse potest, ne è contrario quædam differentia rei & ens quidditatiuè claudant: eiusmodi autem differentia cum nequeant esse nominatæ, propter rationes à nobis superius c. 3. allatas, relinquitur vt solæ differentia proprii nominis expertes rei & ens ita excludant. Quapropter dicta loco nuper citato sufficientem exhibent rationem discriminis, inter conceptus nominatos ex vna parte entis & rei, & ex alia differentiarum perfectatis, inherentiæ & aliarum similium; proinde ab illis ad has non bene arguitur. Quod si ulterius pergas ac rationem postules, cur nam res & ens, in quibus omnia omnino conueniunt & nullatenus differunt, nominibus notentur suis, è contrario verò differentia simpliciter simplices & omnis expertes conuenientia, nominibus significantur nullis sibi propriis, etiam si re ipsa dentur, huius causa, cap. sequenti, eaque satis probabilis afferetur: quamuis, vt ingenuè fatear, abunde sit id voluisse priores, ac præter eorum arbitrium, penes quod est ius & norma loquendi, nulla sit alterius causæ necessitas.

57 **Q**uintum argumentum: risibile, quamuis sit differentia nominata, tamen non est intimè ac formaliter ens: ergo &c. antecedens suadetur; quoniam risibile non prædicatur in quale quid, sed in quale tantum, quandoquidem est proprium hominis & non eius differentia constitutiva: at prædicaretur in quale quid, si ens intimè ac formaliter includeret; in quale, quæ est natura proprii quam necessario sibi vendicat: in quid, quæ est natura entis, quod in eo per se primo modo ac summè inclusum, vti in quid prædicatur (quid enim cuius est magis quidditatum & essentiale quam ens?) ita etiam illud facit in quid quodammodo prædicari. Vbi præterea ratio à nobis superius adducta ad probandas differentias innominatas entis expertes, nominatas eius participes impugnat, & in nos efficaciter retorqueri videtur. Sed responsio in proclui est: proprium enim, cuiusmodi est risibile, aut sumitur adæquatè & quam latè patet; atque ita prædicatur in quale quid, in quale ob proprietatem; in quid ob entis inclusionem: aut sumi-

tur inadæquatè & penes solum id quod enti & cuius alteri gradui essentiali superaddit, eo quidem additamento genere quod peculiari nomine caret; atque ita prædicatur in quale tantum, non contingenter sed necessario. Quod autem proprium hoc posteriori modo sumptum debeat prædicari in quale tantum non priori, cum tamen de hoc solo non vero de illo argumentum factum procedat, hac ratione demonstro, haud magis oportet prædicari proprium in quale tantum, quam genus in quid tantum, vt vero verius; at genus adæquatè sumptum non dicitur in quid solum, ita enim præter naturam genericam includit genereitatem, quæ vt est extrinseca & accidentaria rei cognita, ita facit denominationem generis adæquatè sumptam, non in quid duntaxat sed in quale prædicari debet ergo accipi inadæquatè quodammodo genus, vt in quid tantum enuncietur quare similiter proprium, cuiusmodi est risibile, non adæquatè sumptum, sed inadæquatè hoc postulat, vt in quale duntaxat prædicetur. Hinc constat, rationem nostram supra c. 4. decimo loco positam in nos minimè posse retorqueri, nam inter vltimum & partialem risibilis conceptum ente prorsus immunem, ac totum risibile enti peritum, quæ potest esse paritas: aut esto hoc in quale quid prædicari debeat, qua doctrinæ consequentia tenemur id ipsum de illo admittere?

Sextum argumentum: vnum est passio siue proprietas entis: ergo non est quidditatiuè ens; aliàs esset passio sui metipsum: & tamen est differentia nominata: ergo, &c. Sed hoc argumentum solum probat includi aliquid in vno quod non sit quidditatiuè ens, aut quod perinde est vnum inadæquatè distingui ab ente quod nos vltro fatemur. Si autem vergeas, non vnum absolutè & adæquatè sumptum, sed partialem quendam, & vltimum eius conceptum dici debere proprietatem entis, vltima enim hæc, non tota ratio vnus, per nos ab ente distinguitur, bifariam potest responderi: primo fortassis ita se rem habere sicut replica intendit, solamque rationem vltimam & innominatam vnus esse passionem entis, & quories vnum dicitur eius proprietas, illud supponere non pro toto suo significato, sed pro aliquo, nimirum eo quod enti superaddit, haud secus ac cum dicitur, *homo currit*, homo non pro omni, sed pro aliquo supponit, aliàs ei propositioni falsum subesset, & haud aliter atque cum dicitur, *homo est nomen*, eadem particula, *homo*, non pro se & pro re sibi subiecta, sed pro se sola substituitur: Secundo rationem vnus absolutè & adæquatè sumptam et si similibus modis non distinguatur ab ente, at ab eo esse inadæquatè & secundum quid distinctam: sufficere autem hanc qualemque distinctionem, vt eiusmodi ratio sit proprietatem entis; namque rei cuiusvis proprietatem quævis satis habet ab ea inadæquatè distingui. Declaraturque exemplo: esse calidum octauo gradu est proprietatem realis & physica ignis, à quo tamen physice & realiter non distinguitur, nisi ad summum inadæquatè & penes eius denominationis formam: quidni ergo vnum absolutè usurpatum nequeat esse passio logica entis? quamuis ab eo logicè & ratione nostra, nisi inadæquatè, & quoad vltimum conceptum, quem ei superadiicit, distinguatur.

Septimum argumentum esse potest aduersus nos, aliud quo fere contra auctores alios c. 3. ad seius finem vsi sumus. Compositum physicum ac reale resoluitur in partes nominatas, quarum neutra realiter aliam includat, homo v.g. in corpus & animam: compositum ergo logicum & solius rationis resolui debet in partes inuicem ratione distinctas easque; nō nominum inopes, sed nominatas: eiusmodi autem partes in substantia, quam compositum intentionale seu logicum esse supra passum

sumus ac nemini non fatendum probauimus, haud alia sunt, quam ens & perfectas: hac ergo illud quidditativè excludit, ab eoque ratione ratiocinata distinguitur. Respondeo; duplex desiderari potest proportio, compositam reale inter & intentionale, seu physicum ac logicum: prior est, ut quemadmodum partes unius realiter sunt distinctæ, idque mutuo & alternatim, ita etiam alterius similem distinctionem rationis siue virtualem habeant: posterior est, ut sicut partes unius prout inuicem realiter distinctæ nominibus etiam distinguuntur, ac secernuntur diuersis propriis, sic partes alterius, ut rationes diuersas, ita quoque propria ac diuersa nomina sortiantur. Priorem proportionem libens admitto, ut pote eam ex qua verioris sententiæ pars tertia magna cum verisimilitudine, & probabilitate colligitur: cur autem posteriorem abnuam, cap. sequenti ex professo constabit; vbi quæ dicenda sunt, quoniam non longe absunt, haud opus hic vel leuiter insinuari.

60 Octauum argumentum ex Scoto: si rationale, verbi gratia, (par autem est ratio cuiusvis alterius differentiæ nominatæ) est formaliter ens, conueniet cum hinnibili, & simul ab eo differet ac dissidebit: ergo habet conuenientiam, & differentiam aliquam: rursus hæc differentia à rationali inadæquatè distincta, erit pari iure formaliter ens: ergo resoluitur in aliam differentiam à se quodammodo distinctam, & hæc pariter in aliam, & sic in infinitum, quo nihil fingi potest absurdius. Hoc argumentum male torquetur necesse est eos qui inter differentias nominatas & nominum expertes nullum discrimen agnoscunt: ac nobis, qui inter eas multum interesse putamus, negotium non facessit: etenim, esto rationale resoluitur in aliam differentiam innominatam à se inadæquatè distinctam, hæc tamen in principiis nostris irresolubilis est in aliam, quæ ei superaddita aliquam eius conuenientiam & latitudinem coerceat, cum sit omnis conuenientia immunis, ac differentia simpliciter simplex atque vltima: vnde processum in infinitum è vestigio impedit, & veluti in primo limine facit consistere. Adice quod non perinde ac aduerialij processum illum differentiarum in infinitum omnino improbabile esse nos iudicemus: quo autem iure, huius tract. capite postremo constabit.

61 Nonum argumentum: quidquid alteri adiacet, quidquid ei consignificat, id ab eo quidditativè distinguitur: nihil enim omnino sibi ipsi adiacet aut consignificat: alit differentia nominatæ entis, cuiusmodi sunt, *per se*, *in alio*, *à se*, *ab alio*, adiacet enti, eique consignificant: sunt namque casus obliqui, qui ut voce mētis interprete, sic etiā mēte & re ipsa prout mentaliter cognita ac denominata, recto suo seu nominandi casui nequeunt non adiacere, & consignificaretur ergo ab ente formaliter distincta sunt, & quod consequens est, ab illo intime non transcenduntur. Confirmatur, & declaratur: etenim terminus syncategorematicus veluti omnis, nullus, aliquis, distinguitur quidditativè à termino categorematico: sed non alia de causa nisi quoniam ei adiacet & consignificat, sic ut nisi in eius consortio non possit vspiam subiecti aut prædicari, ut in Dialectica latè à nobis ostensum est: differentia ergo entis, *per se*, & *in alio*, *à se*, & *ab alio*, quæ est earum respectu illius adiacentia, & consignificatio ex ipsarum obliquitate proficiens, non poterunt ab illo non quidditativè distingui, non eius transcendentiam intimam non respicere. Porro vtriusque termini distinctio quidditativa, ac formalis constat: tum quia omnes dialectici terminum in categorematicum & syncategorematicum diuidunt: at nulla diuisio commode fit in partes

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

subiectiuas omnino synonymas; fac enim v.g. ferrum in ensem & gladium, aut animal irrationale, in brutum, & belluam secari; & quis illico talem diuisionem sibi non excipiet? prædicti ergo termini in synonymis numerandi non sunt, adeoque formaliter distinguuntur: rursus vtriusque definitio est omnino diuersa, ut constar ex communi etiam dialecticorum consensu, & à nobis ex B. Thom. 1. parte quæstione 3. art. 3. in loco declaratum est: quæ autem diuersimode finiuntur, ea procul habent synonymiam omnem, ut vel exemplo animalis & rationalis, aut risibilis & rationalis clarescit.

62 Hoc quoque argumentum aliis longe magis quam nobis infestius est, iis scilicet Thomistis qui omnem entis abstractionem ac distinctionem à proximis differentiis suis negant, & harum ab illo vicissim: ita enim si res habet, sicut opinantur aut potius comminiscuntur, quænam poterit superesse adiacentia conceptuum obiectiuorum per voces rectas & obliquas significata, vbi vtrique nisi vnus & indiuisibilis est conceptus obiectiuus. Atqui differentias illas inadæquate distinguimus ab ente, & huic eas adiacere illiusmodi distinctionis beneficio fateamur; quam nobis potest difficultatem aut molestiam id genus argumenti creare? Damus ergo quandam inadæquatam distinctionem inter ens & eius differentias nominatas, *per se*, & *in alio*, *à se*, & *ab alio*, necnon etiam adæquatam inter ipsum illarumque vltimos ac partiales conceptus: quod si prior distinctio spectetur, sicut eiusmodi differentia dicuntur tales absolute, etiam si inadæquate tantum sint rationes differendi, & omnem conuenientiam non excludant, cur similiter dici nequeant absolute adiacere enti, esto inadæquate tantum ei adiaceant, & aliquid quod ei rigorosè loquendo non possit adiacere, videlicet ipsum ens includant? sin autem spectetur posterior distinctio, quæ cum priori necessaria ratione coheret, fortassis obliquitas horum casuum *per se* & *in alio*, *à se* & *ab alio* nil aliud arguit, quàm vltimos ac partiales eorum conceptus obiectiuos, ut adæquate distinguuntur ab ente, sic ei etiam strictè adiacere, quidquid sit, an hæc denominatio in differentias absolute ac totaliter sumptas quodammodo redundet: consignificatio ergo & adiacentia differentiarum entis, non huius & illarum distinctionem à nobis negatam, sed eam quæ nobis in confesso est duntaxat concludit.

63 Decimum argumentum: quemadmodum se habet animal ad rationale, v. g. & hinnibile, ita ens ad *per se*, & *in alio*, ac *à se*, & *ab alio*: sed animal prædictas differentias suas, et si nominibus propriis sint distinctæ, haudquaquam transcendit: ergo nec ens suas, quamquam notæ sint atque nominatæ. Maior videtur perspicua: minor in Dial. 1.9. latè probata est; & vel inde constar, quod aliàs definiti possit, & deberet homo per solum rationale, & equus per solum hinnibile, nulla animalis facta mentione, aut adiectione: siquidem illud prius foret totum animal rationale, sicut ad explicandum sufficienter hominem oportet *rationale*, ut exploratum est: animal, quia ab eo prorsus transcenditur: hoc etiam posterius eadem de causa esset animal hinnibile, ac proinde sufficiens equi definitio.

64 Sed in primis citato l.9. Dial. luculenter constabit, animal differentias suas nominatas transcendere: atque ut alia ibidem deliberanda prætermittam, rationalitas hominis propria non est vis intellectiva qualiscunque, sed ea merito cuius dependenter à sensibus & phantasmatis intelligimus: quidquid autem ita est intellectuum eo ipso formalissime sensitiuum & consequenter animal est: rationale ergo nostri proprium est

est quidditativæ animal. Porro de hinnibili siue principio specialium sensationum equi id ipsum magis claret. Quocirca animalis exemplum ab aduersariis obiectum, ipsis potius quam nobis obest, atque eo transcendentia entis eiusque in differentiis suis nominatis inclusio commodius potest propugnari quam impugnari: ratio autem aduersus animalis transcendentiam adducta in simili soluta est paulo supra, hoc cap. cum de definitione substantiæ per ens per se ageremus.

65 Rursus secundo, tamen si animal differentias suas nominatas nequeat transcendere, idque gratis permitamus diuersæ opinionis authoribus, alia tamen entis ratio & conditio debet esse. Quo enim aliquod prædicatum est logice ac ratione nostra simplicius, quo minus ita compositum crassumque, eo magis transcendit obuia sibi subiecta, iisque magis & intimius sese immiscet, haud aliter atque in rebus physicis contingit, eas, quæ magis simplices subtilisque sunt, verbi gratia ignem & ærem, quæque versus facile penetrare & cuncta transcendere, ac per minimas tenuissimasque rimas sibi iter aperire: contra vero corpora crassa, & multarum partium mole in densitatem compacta, haud ita inoffensum facilemque cursum habere, ac multa illis inuia inaccessibleia esse. Ens autem est prædicatum simplicissimum, cum omnem omnino compositionem excludat, quippe quod vniuersalitatis suæ beneficio à differentiis omnibus, vnde componi posset, abstrahitur: animal vero, cuius vniuersalitas non est tanta, simplicitatem tantam non habet, estque ex variis gradibus metaphysicè, velut aptius dicam, logicè compositum: quomobrem nil mirum, si ens plusquam illud transcendat, adeoque in differentiis suis nominatis intime includatur, esto animal ad suas nequeat penetrare.

66 Vndecimum argumentum: possumus concipere perfectam, verbi gratia, & non concipere quod sit ens, imo hoc in dubium vertere, aut etiam cum nonnullis authoribus mox referendis inficias ire: conceptus ergo formalis vnus est separabilis adeoque distinctus à conceptu alterius: ergo etiam conceptus obiectiuus vnus & alterius erit multiplex & diuersus, scilicet per denominationem à formali vtriusque: alter ergo ratione nostra ac formaliter non clauditur in alio, nec eum transcendit: quo argumento, à nobis infra tract. sequenti probabitur, ens è contrario non transcendendi, sed abstrahi à differentiis suis, & has de illius quidditativæ conceptu nequitiam esse.

67 Respondent ij, qui entis transcendentiam adæquatam, eiusque in vltimis differentiarum rationibus, & quamlibet additis recessibus inclusionem tuentur, eamque formalem & quidditativam; sicut homo est quidditativæ & formaliter animal rationale, tamen ab eo præscindi possit, ac dignosci aliquem esse hominem, quin eum esse animal rationale appareat, ita similiter quod perfectas, an sit ens ignorato, nihilominus cognoscatur, eius ab ente distinctionem formalem & quidditativam nullatenus arguere. At hi nisi & ego fallor haud ægre possunt refelli quoniam præcisio illa hominis ab animali rationali ex imperfecto nostro cognoscendi modo, tamen si non arguat hominem quidditativæ sumptum non esse formaliter animal rationale, ab eonec ita distingui, ac necessario conficit in homine esse alium conceptum non quidditativum & primarium, sed secundarium, distinctum formaliter ab animali rationali, & qui hoc latente appareat, rationemque ac notitiam sui permittat, cum videlicet, quo refertur homo ad isthæ acci-

dentia communia sensibus obuia, eiusque à cæteris animalibus exterius distinctiua: pari ergo ritu in perfectitate aliquis saltem debet assignari conceptus obiectiuus, tamen si non primarius, ac secundarius, qui sit ab ente formaliter diuersus: nullum autem aduersarij admittunt, vel consequenter possunt. Adice quod eadem ratione turri possent, differentias esse de conceptu quidditativæ ac formali entis, quo tamen nihil magis auersantur.

Alij secundo respondent, deludi nos similitudine vocum, & quoties videmur concipere perfectam sine ente, non rerum hanc præcisionem esse, sed vnus nominis ab alio, eius videlicet quod perfectas, ab eo quo ens significatur. Contrà: quoniam in hypothesi argumenti me læt, an id quod cognosco sit ens: aut ergo ita latente & ignorato ente perfectas prout est vera ac realis differentia à me cognoscitur? atque ita non solum nomen à nomine, sed res significata ab alia re præscinditur, contrà quam solutio supponit: aut cum læt ens, cur obsecro perfectas nomen cognoscitur? & ita si non manet eadem difficultas at alia maior emergit: quando enim perfectas, eiusque exterior nota præscinditur ab ente, etiam si sit vere ac realiter ens, cur obsecro perfectas ei nomini subiecta, quantumvis sit re ipsa ens, ab eo tamen quidditativæ ratione præscindi nequeat, atque illo latente cognosci? Præterquam, quod eodem sustineri modo posset, differentias includi formaliter in ente, & hoc ab illis abstrahi non posse, nimirum si quæ rerum significatarum videtur, ea duntaxat nomen præcisio esse dicatur.

Quocirca respondeo, perfectam totam nunquam concipi non concepto explicite & clarè conceptu entis, neque de hoc dubitari, quoties illa apparet: quod autem videamur nobis illam sine ente concipere, ex eo provenit, quod vltimam & innominatam perfectas differentiam ab ente abstrahamus: cum enim perfectas differentiam eiusmodi non re tantum, sed ratione & quidditativæ includat, si non ex toto, at saltem inadæquate & aliqua sui parte, talis tantaque vtriusque indistinctio & identitas facit, vt vnus abstractionem modumque imperfectum eius concipiendi, alteri etiam tribuamus. Quod si respectus potentia visua ad suum obiectum, eiusque cum illo intentionalis connexio in causa est, vt quæ potentia accidunt ea in obiecto ipso geri puremus, cumque navigationis v.g. motum incipimus, tellurem à nobis visam, licet immobilem moueri tamen, fugere arbitremur, quod respexit Virgilius *Æneidos* lib. 3.

Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.

Quid mirum, si propter maiorem connexionem, identitatis scilicet, eiusque non tantum realis sed etiam rationis, fuga illa differentia innominata ab ente, eiusque ab illo abstractio, toti perfectas, quamuis communis non sit, nobis tamen esse videatur? Neque verò solutione ista possunt vti, qui ens abstrahi à differentiis suis negant, quasi non totum ens sed aliquid illius à differentiis re vera abstrahatur, quoties apparet nobis, aliquid esse ens, non tamen an sit per se vel in alio, substantia vel accidens: etenim ens est simplicissimum quidam, & indiuisibilis conceptus obiectiuus, omniūque partium illud ratione componendum expers, nec nisi huiusmodi convenientia simpliciter simplex, entis nomine significatur, vt infra late constabit.

Duodecimum, ac postremum argumentum. Perfectas, siue modus essendi per se est vera ac mera negatio essendi in alio, vt docet Soncinas libro 4. metaphysic. quæstione 1. ad 2. & quæstione 19. ad 7. & libro 5. quæstione 14. sed omnis vera negatio distinguitur realiter ab ente positivo ac reali, qui

qui enim fieri potest, ut nō ens sit realiter ens, aut priuatio, positio: perfectas igitur ita est distincta ab ente, quod cōtrahit: proinde nequit ratione nostra transcendit ab ente, aut hoc de illius quidditatio conceptu esse: quæ enim realiter distincta sunt, hæc ratione eadem esse non possunt, vnamve quidditatem sortiri. Perperam ergo videmur asseruisse omnem differentiam nominatam entis ab eo transcendendi, & quidditatie possideri.

72 Cæterum hallucinari Soncinatem, & perfectitatem, qua contrahitur ens & constituitur substantia, non esse quid duntaxat negatiuum, sed saltem realiter loquendo ens positium, verumque censet B. Thom. 1. Contra gentes cap. 25. Scotus in primum. dist. 3. q. 3. Ferrarientis citato contra gentes loco. Suarez disp. 2. Metaph. l. 6. Hutardus disp. itidem 2. Metaph. l. 4. §. 27. Auerſa. q. 17. Log. l. 1. §. ad explicandum verò & alij communiter. Probatur autem hæc doctrina, & simul falsitatis conuincitur id principij, cui contrarium argumentum innititur. Nam primo substantia componitur ex solis substantiis, quæ paramia ab omnibus recepta, eius sensus si sit, quamlibet partem substantiæ constitutam debere saltem realiter esse substantiam, cuius est, atque manifesta: hoc enim ipso quod materia & forma rationalis substantiam hominis constituunt, eas etiam realiter esse substantias intelligitur, & hoc posterius cum eo priori necessario coheret: sed perfectas simul cum ente substantiam constituit: ergo ad minimum realiter substantia, & ens proinde, debet esse. Rursus eadem ratione differentia increati ens ad Deum contrahens erit mera negatio, & non ens realiter, adeoque malum quid, & imperfectio: quid enim non ente imperfectius & Physicè peius? consequens autem est falso falsius, aliàs Deus, qui haud dubie constituitur intrinsece, & essentialiter per eiusmodi differentiam, ac definiti solet ens increatum, aliquam eo ipso imperfectionem & malitiam Physicam sibi intrinsecam & essentialem habebit, quod tamen cum ratione Dei summique boni manifeste repugnat. Præterea totum reſiliens ex substantia, & accedens v.g. album dicitur, & est ens per accedens, denominatione debiliorem utique partem sequente: similiter ergo totum quod reſilit ex ente positio & negatione siue non ente, potius non ens & negatio, siue ens rationis, quam ens positium & reale dicendum erit: at iuxta Soncinatem substantia ex ente & perfectitate coalescens, eo ipso simul cum ente negationem includit: haud ergo dicenda aut censenda est ens reale ac positium, led negatiuum vel solius rationis, contra quam ipse cum cæteris authoribus & vera ratione edocet. Item accedens, aut constituitur positia & reali differentia, eamve enti superaddit, aut non? si primum, ergo substantia etiam simili differentia & non negatione constitueretur, aliàs erit imperfectior accidente, ens enim cum negatione sibi iuncta decedit perfectionis gradu enti per positiam ac realem differentiam contracto cuiusmodi est accedens. Sin autem secundum? ergo committitur circulus vitiosus, dum substantia definitur ens per se, id est habens negationem inherentiæ, siue essendi in alio, & accedens è contrario ens in alio, id est habens negationem perfectitatis. Ad hæc, multæ perfectiones positia ac reales explicari solent nominibus negatiuis; tales sunt in Deo infinitas, immensitas incomprehensibilitas, &c. Quamvis ergo perfectas voce tenus præferat negationem scilicet essendi in alio, quæ fuit Soncinati erroris occasio, nihilominus erit positia, ac realis perfectio.

R.P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

C A P V T VII.

Argumenta aduersus tertiam nostræ sententiæ partem diluuntur.

73 Tertia pars nostræ opinionis erat, in omnibus differentis, quas nouimus & nominamus, alias occultas & innominatas latere, quæ quidem neutiquam transcendunt ab ente, atque in hoc à manifestis dissident. Aduersus quam doctrinam sit primum argumentum, à nobis eam sine fundamento vilo confictam esse, ad aliquam non transcendentiam entis tuendam, cum tamen rationes cap. 3. Superius factæ omnem omnino impugnare videantur. Quid autem aliud hoc, quam discordes sententias in concordiam reuocare velle, atque ad vtriusque difficultates fugiendas latibula querere, & aras erigere ignoto Deo? Nam si quæ sunt eiusmodi differentia entis expertes, & formaliter ab eo distinctæ, cur vt interius concipiuntur, sic etiam exterius proferri ac nominibus suis representari nequeunt? cur in perpetuis veluti tenebris iacent, lucemque reformidant? vt partes Physicæ ac reales, cuiusmodi sunt materia & forma propriis & distinctis significantur vocabulis, quidni etiam partes Logicæ ac solius rationis, realem compositionem imitantes, videlicet ens & differentia quæuis ei superadditæ iam rationale, nisi ratione nostra non distinguitur ab animali, & sensibile à viuente, & vniuersum differentia infimæ à subalternis: & tamen quælibet earum proprias habent notiones, quibus aliæ exterius fecerantur ab aliis: quin etiam homo & animal, animal & viuens, viuens & substantia, hæc & ens ne ratione adequata distinguuntur: & nihilominus peculiaria sibi ac diuersa nomina vendicant: quod ergo distinctio illa entis ac differentiatum, harumque ei accessio sit tenuis valde ac solius rationis, neutiquam arguet, eas propterea occultas ac nominum inopes esse. Denique ens, pro vt condistinctum ab eiusmodi differentiis, propriam habet nomenclationem: cur igitur eam non habeant è conuerso differentia illæ pro vt ab ente distinguuntur. Nam hæc si sunt vltimæ suapte natura, ac rationes differendi simpliciter simplices, & in alias porro irresolubiles, ita & ens est vltima ratio conueniendi, ac simpliciter simplex; hanc tamen, non obstante eius vltimitate vt sic dicam, non mens nostra modo, sed etiam lingua assequitur, & non obstante eius simplicitate ac veluti exiguitate discernit: quidni ergo & illas, quantumlibet remotæ, ac simplices, tennesque videantur.

74 Quamquam hoc argumentum satis plausibile sit atque popolare, illud tamē qui penitus introspiciat, parum in eo, quantum arbitror, aut nihil soliditatis comperiet. Vt autem singulæ eius partes suo ordine aggrediar, imprimis cur nefas sit, inter extremas oppositasque sententias, mediam quandam sequi, & ambas ita ad temperiem & mediocritatem redactas quodammodo conciliare. Hoc enim aliud non est, quam, vtrinque minitantibus difficultatum scopulis caute enauigatis, earumque declinatis veluti fortibus, veritatis portum tenere. Quæ tamen ita certe nolim accipi, quasi probem eos, quibus non aliæ opiniones placent, quam inter communes & passim circumferri solitas mediæ, quique, has si quando inueniunt aut potius confingunt, tum se felices, tum gloriosos putant, eaque Senecæ in Hercule Octavo act. 2. verba thrasonice iactant.

*Quis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret,
Dum petit vnum præbere diem,*

Y 3

Patriosque

*Patriosque puer concitat axes,
Nec per solitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignora secat,
Sydera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cæli dum sulcat iter,
Tenuis latias Dædalus oras
Nullique dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phœboque volat
Proximus ipsi, dedit ignoro
Nomina ponto.*

75 Cæterum hæc & similia parum eos iuuant, quorum philosophandi morem redarguo: quippe quæ spectant solam virtutem, in mediocritate positam, & hoc solo definitam, quod vitiorum instar ad nulla extrema deflectat, animumve præcipitet: non autem veritatem, utpote quæ sita est in conformitate actus cum obiecto, siue hoc omnino affirmet, siue omnino neget, siue medio quodam inter hos tramite vecta, rem partim esse, & partim non esse repræsentet. Quocirca non ideo mea mihi stat de transcendentia opinio, quod inter extremas aliorum media sit, sed quod eius mediocritas cum veritate, & illarum extremitas cum falsitate cohæreat, cum tamen persuasum habeam, alias aliter haud raro euenire.

76 Iam quod statuimus, differentias illas enti impervias exterius quidem latere, ac peculiarium sibi signorum expertes esse, nobis vitio verti non debet, aut pro eo haberi, ac si esset ad veritatem eludendam occulta diuertacula petere, eiusque vim effugituros veluti noctis cuiusdam ac tenebrarum præsidio fidere. Nihil minus: quin potius quod agimus est eiusmodi differentias ac rationes vltimas rerum ab externi sermonis iniuria vindicare, & quas ore vix possumus, mente saltem exprimere, ac interna & meliori luce donare. Quis neget equo, boui, leoni, ac cæteris animantibus specificas sibi que peculiare differentias? nulla tamen earum propria ac peculiaria nomina, nulla signa: Hinnibile siquidem mugibile, rugibile, & his similia, per quæ solent definiri, strictè significant, non differentias essentielles, ac interiorum & primariorum operationum respectivas, sed quasdam proprietates quarto modo, nimirum vires productivas exteriorum quorundam & secundariorum effectuum; quo pacto risibile iuxta omnes non hominis essentialiam, sed passionem quandam minimè primariam indigat.

77 Et quidem peripaterici omnes ex Arist. lib. 2. post lect. 13. perspicue hoc docent differentias essentielles ac specierum vltimo constitutivas adeò occultas nobis esse, ut nullis eas nominibus propriis distinguere possimus, sed vel iis, quibus differentia propria quarto modo, vel certè differentia subalterna & communes, aut quæ in plus sunt specieve sua latius patent, iunctim sumptæ, penes vtrarumque accidentia externa significantur. Prior autem nominum translatio ad differentias specificas & innominatas quoquo modo explicandas visitur in hinnibili, mugibili, rugibili, quibus, cum sint vocabula proprietatum quarto modo, tamen equi, bouis, & leonis essentielles differentia translatitia ratione significantur, ut iam iam vidimus. Posterior autem in specifica hominis differentia, per rationale additum animali expressa, quorum tamen alterutrum nomen est commune, illud Angelis, hoc belluis, eorumque subalternis differentiis: aut etiam in specifica differentia numeri ternarii, quæ sic traditur ab Arist. loco citato & aliis, *numerus impar primus*, cum tamen

quodlibet harum vocum, nonnisi differentiam aliquam communem strictè repræsentet. Quamvis autem differentia specificæ, quas posteriori loco retulimus exempli gratia, declarari soleant per circumlocationem, ac priores per simplicem quandam translationem, cæterum è conuerso etiam res solet ac potest accidere. Maxime vero inspiciendum est, an proprietas quarto modo, & si quod respicit & efficit accidens à se distinctum, demonstrantur à priori per differentiam specificam: tum enim opus erit hanc non per simplicem notionem eius quod probandum est explicari, sed per quandam verborum cumulum atque circuitum, ne videlicet medium in præmissis geminarum, cum prædicato conclusionis maiorive extremo, seu differentia essentialis cum secundaria & quarto modo propria confundatur. Porto ad doctrinam, hæctenus ex Aristot. & eius Scholæ affectis adductam, magna ex parte respexit B. Thom. citato lib. 2. post. lect. 13. littera D. *Sed dicendum est, quod si accipi posset differentia quæ notificaret ipsam formam substantialem speciei, nullo modo differentia vltima esset in plus quam species, ut rationes probant. Sed quia formæ essentielles non sunt nobis per se nota, oportet quod manifestentur per aliquam accidentiam, quæ sunt signa illius formæ, ut patet in 8. met. Non autem oportet accipere accidentia propria illius speciei, quia talia oportet per definitionem speciei demonstrari; sed oportet notificare formam speciei per alia accidentia communiora & secundum hoc differentia sumpta dicuntur quidem substantiales in quantum inducuntur ad declarandum formam essentialem; sunt autem communiores specie, in quantum assumuntur ex aliquibus signis, quæ sequuntur superiora genera. Et littera F. tantum non proxime sequenti, satis significanter & breuiter; non enim cuiuslibet rationi est nomen impositum: & inde est quod multa sunt innominata, tam in generibus, quam in speciebus. Et lib. 7. metaph. lect. 12. littera F. aliquando enim necessitas cogit, ut vtrumque loco per se differentiarum, differentis per accidens, in quantum sunt signa quedam differentiarum essentialium nobis ignotarum.*

78 Quid iam memorem differentias individuales, quæ cum vnamquamque speciem infinites distinguant, necesse est ut propria eis nomina desint, quibus exterius innotescant: quot hominum, verbi gratia individuationes vna per teitate significantur? quot vna Pauleitate? quot aliis similibus in commune vocabulis? ut quæ re ipsa nihil habent affine, nihil prorsus idem, nominum tamen affinitate in quandam confusionem abeant, nec omnino declarata quodammodo delitecant. Quid etiam referam, præter prædicationes nominatas & vulgares generis, speciei, differentia, proprii, & accidentis, alias innominatas, cuiusmodi Louanienfibus & aliis esse videntur hæc, hoc animal confusè cognitum est animal, hoc viuens est viuens, & alia similes? Quid præterea genus proximum equi v.g. & asini ipsis peculiare, & aliis animantibus præsertim homini nullatenus commune? quamvis enim proculdubio detur eiusmodi genus animali inferius, nobis tamen est ignotum & innominatum, ut bene Pereira lib. 3. physic. capite 12. parum ab initio. Quid entia rationis ac figmenta? quæ à quauis entium realium complexione distinguuntur, atque ita distincta nobis obici complures affirmant; & tamen ea nominibus propriis carent, nec nisi communibus entium realium explicantur: hircoceruus enim nil aliud quam hirci & cerui nomina in vnum coacta: homo leo, quam hominis & leonis; ipsum ens rationis in communi quam entis similiter & veræ rationis.

Quid

Quid memorem denique, ut ad physica & sensibilia orationem conuertam, innumeras qualitates naturales, quorum nomina potius quam effectus virtutesque latent? Da quæso nomenclaturam eius qualitatibus, per quam lydas lunæ statis reciprocationibus pelagum ciet, eiusque fluctibus modo inundat campos, modo latè denudat. Da si potes eius qualitatibus, qua sol heliotropij, & scorpiuri flores conuertit, quæve, ut alijs placet, hi illius motum sponte sua sequuntur. Cedo etiam eius, per quam magnes ad se ferrum arcana rapacitate attrahit. Cedo tandem illius occulti accidentis, quo iuxta Iauellum alioque Thomistas aqua natua frigiditate extrinsecus spoliata ad eam sese restituit. Nouum igitur & inusitatum haud est, quæ proprijs nominibus nequimus, ea non negare, sed communibus explicare quadantenus, & obiecta vocabulis fermè distinguere nescia conceptibus nihilominus suis distinguere.

79 Depulimus calumniam, qua posset aliquis differentias ab ente non transcendas, quia occultæ ac nominum inopes sunt, idcirco improbare: proximum est, ut explicemus cur eis propria nomina desint, sicuti in argumento facto quaeritur. Non ergo innominata sunt prout ab ente condistincta, quia cum eo aliquid componunt, ut luculenter constat partium physicarum exemplo semper aliquid componentium, quin tamen earum alterutram vox sui significatiua deficiat: nec etiam propterea enti nullum nomen addit, quia nihil rei significatæ, subiectiue sensus verè ac realiter ei adiciunt, & non potius sola ratione, quandoquidem animal homini, & hic animali & rationale ambobus, sine vlla reali adiectione, distincta tamen vocabula superaddunt. Damus ergo hæc ultro, ne quis aliquando in eis extorquendis frustra laboret: illud tamen largiri nolumus, eam inopiam nominum, qua laborant differentia, de quibus in præfati sermone, nequaquam inde oriri posse, quod sint simpliciter simplices, & aliquatenus vltima. Quod enim inde oriatur perspicuum est, si quidem nobis mortalitatis huius vinclis & carcere clusis, ac nil nisi per exteriorum sensuum veluti transfennam insipientibus cuncta protinus sub luce maligna apparent, nullamque sui claritatem aut distinctionem, non cum plurima obscuritate & confusione coniunctam permittunt: inter has autem nebulas, quo simplicius ac minus est aliquid, quo longius abest, eo difficilius illud ac peius cernimus: quis punctum indiuisibile continui discernat: cuius acies rem quantumcunque absentem, & procul refugam assequatur? proinde nil mirum si obscure nimis & confuse cognoscamus differentias simpliciter simplices, & in quas omnis compositio siue numerica & indiuidualis, siue specifica, siue generica, aut si qua his omnibus altior, vltimo resoluitur. Quemadmodum autem quæ nullo modo cognoscimus, ea nullatenus etiam nominamus, ita consequens est, ut quæ summa cum imperfectione & obscuritate cognoscimus, cuiusmodi cognitionem, ut diximus, habemus differentiarum simpliciter simplicium, ea non proprijs ac distinctis, sed alienis potius & emendicatis vocabulis significemus: hæc ergo causa est, quapropter arbitramur tales differentias esse quodammodo innominatas, exteriusque latere.

80 Entis autem instantia aduersus hanc doctrinam nullius prorsus est momenti: quod enim ens sit ratio conueniendi simpliciter simplex & ascendendo superius vltima, seu quod perinde est, summa & vniuersalissima ratio conueniendi, potius arguit: illud etiam esse summè facile ad cognoscendum & nominandum: nam quo aliquid plura continet, quoque in

eo plura conueniunt, eo facilius est cognitu & nominatu: hinc est, ut, aliquo obiecto procul viso, facilius norim & securius affirmari esse ens quam substantiam, & substantiam quam corpus verum ac minimè apparens, cum fieri diuinitus possit, ut sub accidentibus, quorum mihi obicitur species, nulla sit substantia, non tamen ut ab omni sint ente seiuncta; atque ut assumpto corporis simulachro spiritalis aliqua substantias nostros sensus ludificet, non tamen ex natura quidem rei, ut nulla substantia seu corporea, seu incorporea subsit eiusmodi accidentibus, quorum imaginem procul aspicio: præterea facilius viuens quam animal, & animal quam hominem, & hominem quam Petrum; cum fieri possit ut qui mihi videtur Petrus non sit reuera ille, sed alius homo, & qui homo, non sit reapse homo, sed animal aliud, & quod animal apparet, eiusmodi non sit, sed arbor ac viuens insensibile, & vniuersim loquendo, ut rationem superiorem certo cognoscens circa inferiorem decipiat; quin tamen è conuerso accidere possit, ut Petrum esse cognoscam, & penetratis terminis eum hominem esse negem vel ignorem, vtve similiter hominem sine animali aut animal sine viuente dignoscam: plus igitur ad rationem inferiorem ac differentialem, quam ad rationem conueniendi ac superiorem assequendam requiritur, adeoque facilius cognitu & consequenter appellatu est hæc quam illa: id quod perspicue docet Aristot. lib. 1. physic. parum ab initio; quo autem pacto, tum 1. poster. cap. 2. tum etiam 1. metaph. cap. itidem 2. oppositum etiam si docere videatur, tamen non doceat, sed potius sibi utrobique cohareat, alibi ostendemus. Interim consuli possunt antiqui eius interpretes, Auerroës, Philopponus, Simplicius, Themistius, Alexander Aphrodisæus, B. Thomas 1. metaph. lect. 2. necnon Suarez disp. 1. metaph. sect. 5. à num. 17. & lib. 4. de anim. cap. 3. dub. 2. ac Pereira lib. 3. physic. cap. 13. qui auctores etsi in Aristotele sibi conciliando satis egeant inter se inuicem conciliari: vsque adeo eum diuersimodè accipiunt: illud tamen, quod sciam, inter omnes constans est, & ex superioribus spòte sua manifestum, rationes conueniendi maiores ac magis vniuersales, quoad an sunt, ut ita loquar, facilius nosci quam inferiores ac differentiales, eo saltem modo, quem nuper proposuimus: cum igitur cognitio rerum imperfecta, & vulgaris, atque quoad an sunt, non autem perfecta & quidditatiua, (quam fortassis primi illi ac rudes idiomatum inuectores nullam aut certè raram habuere) sola sit ad impositionum nominum prærequisita, consequens est, ut prædicata superiora, & in quibus plura conueniunt, faciliora sint nominatu quam inferiora, sicut ad nostrum institutum oportet.

Porro hanc rationem à posteriori, siue ab experimento alia à priori, eaque me iudice manifesta, confirmat. Quamuis etenim summa ratio conueniendi, qualis est ens, sit actu simpliciter simplex & quodammodo vltima, defectu nimirum omnis compositionis ac differentia, quæ quidem sint de eius ratione & conceptu formali; cæterum potestatiue ac virtute est multiplex & non vltima, propterea quod se realiter extendat ad omnes & singulas res quantumlibet diuersas, easque & earum gradus omnes tam vltimos quam etiam intermedios per veram identitatem coerceat. At vero neutra harum rationum procedit indifferentia simpliciter simplici, & ab ente descendendo inferius vltima, qualis illacunque sit, & siue in sola perfectitate, siue in sensibili, siue in rationali, siue in Petro, siue in alio quouis lateat: siquidem in primis non est summa ratio conueniendi, sed potius differendi.

differendi: deinde, quod consequens est, non habet extensionem illam & amplitudinem entis atque adeo nec virtutem aut potestatiem ullam multipliciter, simpliciter oppositam, vel propinquitatem ultimitati contrariam. Duabus ergo his de causis differentia sunt longè aliter simpliciter simplices & ultimæ, quam ens quod ab eis abstrahitur: unde non est cur ad cognoscendum summè difficiles & obscuræ non maneant, eaque difficultas propriam ac distinctam eis nomenclaturam non inuideat.

82 Quod si quis nobis opponat, si non singulas differentias, ac rationem communem ab omnibus abstractam esse non minus quam ens virtualiter ac potestatiè multiplicem & non ultimam; negari debet utique suppositum: cum enim differentia simpliciter simplex, quatenus talis, omnem convenientiam excludat, sicut è contrario iuxta omnes ratio conveniendi simpliciter simplex quamlibet differentiam, quæ fieri potest, ut abstrahi possit conceptus communis differentia simpliciter simplicis? esset enim talis conceptus differentia simpliciter simplex, veluti supponitur: & non esset, quia aliquam convenientiam importaret; quæ ratione perfectio simpliciter simplex nequit esse, quæ aliquam imperfectionem continet. Sed de hoc alibi. Deinde fac non repugnare talem rationem communem, eamque consequenter more entis & distinctè cognosci, & suo proprio nomine, videlicet differentia absolute sumptæ, aliæ quolibet appellari posse? quid inde quod enim nos potissimè negamus, est differentias illas singulatim sumptas, quæ est earum simplicitas omnis multipliciter virtualis & ultimitas omnis propinquitatis expertis, aut facile & perspicuè cognosci, aut propriis vocabulis significari posse: cuius contrarium entis exemplo nequaquam evincitur.

83 Ex dictis emergit alia ratio discriminis, inter ens & differentias, de quibus disputamus. Aut enim hæ sibi vendicant nomen aliquod commune, quod omnes prout ab ente distinctas comprehendat, vel certè non paucas; & hoc rationi consonum haud est, cum enim non sit omnibus, nec etiam pluribus earum, vlla ratio communis uniuoca; siue vna ex parte ipsius obiecti in qua conueniant, ut iam diximus, perfectò fieri non potest vel quidem non debet, ut vnum nomen etiam commune (de quo tantopere non laboramus) sortiantur. Quod si datur nomen commune omnibus indiuiduis, quin tamen ratio communis obiectiua indiuidui sit possibilis, ut longe verisimilius, & nomen commune huic & illi Petro, v. g. Quin tamen ratio uniuoca & realis utrique & non aliis eo carentibus nomine communis reperitur; idcirco est, quia nomina illa communia indiuidui aut Petri ita significant rationes obiectiuas diuersas, ut talis diuersitas non sit simpliciter simplex, nec omnem convenientiam entis aut hominis formaliter excludat: quapropter licet non Petri aut indiuidui, ac alia ratio obiectiua eadem & vna, in alterutro quidditatiue inclusa, unitati prædictorum nominum quodammodo respondet; cæterum nomen illud significans meras differentias simpliciter simplices nil vnum repræsentaret: qui ergo vnum esse posset vel deberet? Aut eiusmodi differentia, ut ad secundam dilemmatis partem accedam, perinde diuersa nomina suo quasi iure postulant, prout ipsæ sunt diuersæ ac plures; & hoc à ratione prorsus est alienum, quandoquidem infinitæ sunt, & non solum per omnes res realiter distinctas, sed etiam per cuiusvis rei innumeros gradus partesque logicas, latissimè vagantur, unde necesse erit infinitam nobis nominum copiam suppetere, quod tamen quisquis nostram in-

fantiam ne paucis quidem & finitis numero rebus nominandis parem respiciat, ridiculum esse compertiet. Tertio denique adicio, cum nomina magis arbitrio quam natura consent, ut differentia simpliciter simplices & in quacunque compositione logica ultimæ sint innominatæ, satis fortasse non paucis visum iri, si, ut superius dixi, idiomatum inuentoribus subtilitatum harum aut ignaris ut plurimum, aut securis id placuerit.

84 Secundum argumentum aduersus opinionis nostræ tertiam assertionem sic instaurari potest. Differentia illa innominata, in perfectitate, rationalitate, aliæque simili nominata larens, non est ratio differendi simpliciter simplex, uti superius statuimus: aliquam igitur rationem conueniendi cum aliis intrinsecè includet, haud aliter ac perfectio non simpliciter simplex eo ipso non est ab omni imperfectione seclusa: minima autem ratio conueniendi, intensiue loquendo, est ens; quamvis enim extensiue sit summa, ut superius doctum, eo quod omnes res in ea conueniant, eamque participant, secus tamen intensiue; nam ita quæ minor aliquorum conuenientia, quam in ratione entis, in qua scilicet Deus & creatura, quamvis infinite differant, tamen conueniunt: hanc ergo conuenientiam ad minimum differentia innominata sibi intrinsecè & quidditatiue habebit: & quidem, si quam aliam habuerit, videlicet differentia in communi, à fortiori eam, quæ est entis adeoque minor, poterit includere. Probatur primum antecedens, unde cætera ritè sequuntur: nulla datur ratio differendi simpliciter simplex: qui ergo poterit esse talis differentia, qua de loquimur? hoc etiam antecedens suadet: quoniam nulla datur è contrario ratio conueniendi simpliciter simplex; siqua enim, maximè ens, uti superius docuimus; ens autem eiusmodi ratio nequit esse, aut, quod perinde est, nequit omnem differendi rationem excludere, siquidem per semetipsum formalissimè sumptum differt à chimæra & non ente: quidquid etenim sit, an aliis ab ente ratione nostra distinctis, eique superadditis, ita differre conueniat, ac enti quis id hæcenus negauit, aut iure potuit. Rursus secundò idem antecedens suadet: quoniam ratio illa differendi simpliciter simplex, qualis, v. g. latet in perfectitate, aut rationalitate, conuenit cum alia in ratione communi differentia omnino simplicis, seu sinceræ: haud ergo omnem conuenientiam excludit, ac proinde magis verbo quam re differentia simpliciter simplex est censenda.

85 Verum negandum est primum illud antecedens, quod totius argumenti basis. Ad primam probationem: quando diximus, ens esse rationem conueniendi simpliciter simplicem, sermo nobis fuit de ratione conueniendi, quæ sit relatio realis, talisque ut merito illius vnum ens saltem realiter eiusmodi cum alio ente conueniat: ac ea ratio conueniendi omnino simplex non debet excludere differentiam à chimæra, sed solam eam, quæ itidem sit relatio realis, duoque extrema realia intersit, faciatque differre: ens ergo, tametsi seipso formaliter differat à chimæra, hoc est seipso quidditatiue sit fundamentum. eius relationis, qua non enti opponitur, nihilominus optimè poterit esse ratio conueniendi simpliciter simplex, qualem hanc superius adstruximus. Quod si differentia, de qua lis, includat quidditatiue aut ens aut rationem communem uniuocam differentia, haud dubiè rationem conueniendi non quamcunque, sed quæ relatio realis, eiusque quod modo iuxta habemus) fundamentum sit, formaliter inuoluet, cum in ente ut sic ac differentia reali in communi, plures
vtriuslibet

utriuslibet partes subiectiue vera quadam ac reali relatione, ea facta hypothese, debeant conuenire. Hoc autem est contra conceptum eius differentie, quippe quae est ratio differendi simpliciter simplex, non qualiscunque, sed realis relationis pondus & instar habens, adeoque expers quidditatiue omnis rationis in qua plura realiter aut secundum aliorum phrasim praedicamentaliter conueniant: contrapositio igitur, entis differentiam innominatam non esse rationem differendi simpliciter simplicem, neutiquam conuenit. Ad secundam probationem: quod assumit profusus est falsum, scilicet abstrahi posse rationem communem differentie simpliciter simplicis: contrarium enim, & paulo supra in transcurso probauimus, & vberius in Dialectica demonstratum est libro nono, tractatu 5.

86 Tertium argumentum, & solutionis superioris impugnatio: differentia vltima substantiae, v. g. aut hominis, ea scilicet quae in alterutro latet innominata, nec conceptum communem differentiae nec conceptum entis formaliter cohibet, haud illum, quia est impossibilis, haud hunc quia est non transcendens, profecto nihil, in quo cum vilo alio conueniat, includit: at ens reale in communi aliquid formaliter inuoluit, in quo differat ab alio, videlicet à chimera seu non enterit ergo ea differentia latens maior ratio differendi, quam ens ratio conueniendi, cum illa, ut dictum est, omnem omnino conuenientiam reiiciat, hoc aliquam differentiam admittat. Consequens est absurdum, ergo & istud vnde sequitur, nimirum quod sit aliqua differentia, nec enti, nec vlli praedicato transcendentem formaliter obnoxia. Porro autem consequentis absurditas suaderetur: quoniam sicut in substantia ascendendo superius vltimum est ens reale in communi, ita descendendo inferius, eiusque partes resoluendo, praedicta differentia est pariter vltima, quidni ergo haec sit tanta in suo genere, quantum ens in suo: item secundo, conceptus entis iuxta nos est summa ratio conueniendi extensiuè fando: ergo nulla possibilis est maior ratio differendi.

87 Respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate. Ad primam eius probationem dicendum est, ascendendo superius per omnia praedicata realia cuiusvis compositi metaphysici seu logici, ens reale vltimum esse & quasi arcem tenere; secus vero si assensus fiat per omnia praedicata, qualiacunque sint, & siue realia, siue ad haec & solius rationis superiora; ita enim altius quiddam est ente reali, ut sic, ratio communis aut entis, aut, si mauis, obiecti seu cognoscibilis, abstracta ab ente reali & ficticio. At vero, absolute & nulla facta exceptione, differentia innominata substantiae vel cuiusvis alterius rei, est in ea quid vltimum seu infimum, ac tale, quo nil sit in toto illo gradu inferius: quid mirum ergo si sit maior in suo genere nimirum differendi, quam ens reale in suo videlicet conueniendi, quandoquidem, ut supponitur ac non iniuria, quo aliquid sursum magis ascendit, eo est maior ratio conueniendi, & quo deorsum magis vergit, eo est maior ratio differendi. Ad secundam probationem dicendum est, ens reale haud esse per nos summam rationem conueniendi, nisi semper subintellecta limitatione relationis realis superius adhibita: quocirca, absolute loquendo, non cum illo, sed cum praedicato aliquo supertranscendenti, tam ab eo quam ab ente rationis abstracto, & utrique communi, debet comparari, & de aequalitate in suo genere certare.

88 Quartum argumentum. Ens, si non transcendit formaliter ac ratione nostra differentias omnes, sed

realiter tantum, sicut animal suas, erit genus non minus quam animal; quidni vero? cum praedicetur de pluribus differentibus specie in quid; consequens autem videretur absurdum, alias substantia, verbi gratia, aut quantitas, non erit supremum genus, contra quam omnes auctores censent, apud quos nihil familiarius, quam decem praedicamenta, decem suprema rerum genera vocari. Sed huic argumento factum est satis in Dialect. lib. 8. cum sermo fuit de definitione generis: ampliusque ad illud respondebitur tract. sequenti huius operis, cum agemus de vniuatione entis. Interim breuiter dico, ut ens non sit genus, & eatenus ab animali differat, satis esse quod per omnes rerum species latissime vagatur, easque per veram identitatem realem coercet: omne siquidem genus distinctas species postulat, aliis generibus non communes, ut singula intuenti clarebit: quare cum definitur genus ut hic, quod praedicatur de pluribus differentibus specie in quid, hoc ita intelligendum est, ut non solum eius inferiora debeant inter se differre specie, sed etiam ab inferioribus cuius alteri generi subiectis, aliamque ab eis seriem constituere. Cum ergo ens nullas peculiare species habeat, sed omnes & singulas aliorum quorumvis generum complectatur, quid mirum si ex hoc titulo definat esse genus, et si ne eiusmodi sit, neutiquam oporteat ad eius transcendentiam formalem & quidditatiuam, veluti ad sacram anchoram confugere?

CAPVT VIII.

Aliorum argumentorum aduersus eandem nostram sententiam partem oppugnatio.

89 Quintum argumentum ex P. Suarez disput. 2. metaph. sect. 5. num. 11. & P. Hurtado disput. item 2. metaph. sect. 4. num. 36. & aliis. Substantia componitur ex solis substantiis, ut est in veteri patrum, ab Aristotele 1. physic. cap. 6. & ceteris philosophis recepta: at substantia componitur ex differentia illa innominata quae formaliter & quidditatiue latet in perfectitate, ut est, ea supposita, certo certius: ea igitur debet esse substantia formaliter, atque ens adeo. Respondeo, philosophicum istud axioma, ut verum sit, intelligendum esse in sensu non formali & quidditatiuo, sed reali & identico: proinde satis esse, si differentia illa sit realiter ens, nec opus esse, ut ab eo etiam formaliter, seu ratione transcendatur.

90 At aliqui superius argumentum ita vrgent: substantia nequit realiter componi ex aliquo, quod realiter non sit substantia, aut perfectum ex aliquo, quod realiter non sit perfectio: ergo etiam nequit ens aut perfectum logicè, seu ratione nostra componi ex aliquo; quod logicè ac ratione nostra non sit ens neque perfectio: atqui differentia quidditatiue latens in perfectitate constituit ratione nostra substantiam, atque adeo ens & perfectum quidpiam, ut omnibus est in confesso: ea ergo debet esse quidditatiue ac ratione nostra ens atque perfectio.

91 Respondeo, in compositione etiam physica & reali non semper partem sortiri, physice itidem ac realiter, denominationem totius: ens enim per accidens resultat aliquando ex substantiis non unitis, quarum tamen nulla est ens per accidens, sed per se potius; & similitudo coalescit physice ex fundamento & termino, quorum tamen neutrum seorsim est similitudo: similiter ergo, in compositione logica, haud semper pars debet sortiri, logicè & ratione nostra,

nostra, denominationem totius, adeoque non est necesse, ut differentia aliqua logicè componens ens & perfectum quiddam, cuiusmodi est substantia, debeat eo ipso esse formaliter ens aut perfectio: aliquando enim tenet, aliquando fallit hæc regula, sicut etiam in physicis vsuvenire diximus. Quod si in istis huc saltem regulæ nunquam subesse falsum; *substantia physicè solum componitur ex partibus, quæ physicè ac realiter sunt substantia*: hæc ergo regula similiter vera semper erit, & nunquam falsa; *substantia logicè componitur solum ex partibus, quæ logicè ac ratione nostra sunt substantia*: ex quo fiet, differentiam in perfectitate latentem ac tacitè clausam esse logicè, & formaliter substantiam, quandoquidem simul cum ente, & perfectitate cui est quidditatiua, & substantiam quodammodo componit: ubi autem sit substantia, ens non esse non posse. Quod si inquam hoc opponas, in promptu est discriminis ratio: namque inter substantiam & accidens non est inuenire medium realiter, nec aliquid assignare, quod realiter non sit substantia vel accidens: quare si pars aliqua physica substantiæ non esset physicè & realiter substantia, esset hoc ipso physicè & realiter accidens, adeoque non posset constituere ens substantiale & per se, quod nimirum resultare nequit ex accidenti, alias non foret ens substantiale & per se, sed potius per accidens, debilioremque partem proculdubio sequeretur. Cæterum inter substantiam & accidens est reperire medium logicè ac ratione nostra, quod videlicet neutrum eorum sit, ut vel in ente in communi visitur, quod etiam iuxta arguentes logicè ac formaliter nec est substantia nec accidens, sed potius ab utroque abstrahitur: proinde, quamvis ultimus & innominatus conceptus perfectitatis non sit formaliter substantia, poterit tamen eam constituere: haud enim propterea metus est, ut sit accidens, aut compositum ipsum consequenter ens per accidens euadat, sicut si aliquid non physicè substantia, physicè tamen substantiam constitueret. Quid? quod argumentum eiusque replica in ente, quæ est eius differentia latentis altera compars, manifestè instantur, ut expendenti liquebit. Quid etiam? quod differentia constituens substantiam, eo ipso non tam debet esse formaliter substantia, uti arguitur, quam ab ea formaliter distincta, aliàs inter constitutum & id quod constituit, nulla prorsus erit distinctio, quo nihil dici potest ineptius.

92 Sextum argumentum aliquorum ex doctrina Patris Suarez ubi supra. Perseitas est perfectior quam differentia accidentis, videlicet inhærentia, ut sponte sua claret: at non est ea perfectior quoad gradum entis, quem iuxta nos includit, utpote ab inhærentia non minus quidditatiuè inclusum: tantum ergo est illa perfectior quoad differentiam innominatam in se latentem: ita, quia homo non est perfectior equo penes materiam, reliquum ac necessarium est, ut cum superet perfectione penes animam rationalem, solis enim his duabus partibus constituitur: cum ergo perseitas nihil aliud essentialiter cohibeat, nisi ens & occultam illam differentiam, inæqualitas perfectionis, quæ in illud refundi nequit, huic necessaria ratione debet attribui: fieri autem non potest, ut ea differentia sit perfectior vlla alia, quin sit quidditatiuè perfectio & entitas. Quo argumento nos etiam vsi sumus supra cap. 3. non multum ab initio: ibi namque differentias nominatas, propterea quod una sit perfectior alia, quidditatiuè transcendendi ab ente probauimus.

93 Verum in primis argumentum in isto: quoniam seruus constituit alium hominem Dominum sui,

eique hanc relationem impertit, quin ipse sit Dominus sui: nigrum constituit album dissimile sibi, & tamen ipsum sibi non est dissimile: filius constituit Patrem sui, & nihilominus ipse sui Pater neutriquam est aut potest: minus constituit maius, & maius minus, & nec maius ob id est minus, nec minus maius: atque vniuersum omnis terminus relationis prædicamentalis mutuat hanc ad se saltem realiter constituit, quin sit sui ad se relatio: pari ergo modo differentia occulta perfectitatis, aut substantiæ, potest alterutram facere perfectiorem accidenti, siue quod perinde est, maiorem aliquam cum ente perfectionem constituere, quin ipsa sit maior perfectio: ex eo ergo quod sit secundum se perfectior inhærentia accidentis, nullo iure colligitur, quod sit quidditatiuè perfectio & entitas, non quod illatio nõ sit legitima, sed quod eius antecedens prorsus falsum. Quocirca, quod homo non sit perfectior equo munere animæ rationalis, quin hæc sit perfectior anima equina, ac toto etiam equo, per accidens est non per se, quandoquidem alibi inuenire est, quod facit vnum alio esse perfectius aut maius, ipsum secundum se hanc relationem minimè subire.

Rursus secundo, quidquid sit de illa sententia 94 constituente relationem prædicamentalem ex fundamento & termino, quæ multis aduersariorum haud dubiè non est placitura, independenter ab ea sic argumentum in isto. Palmus additus quantitati bipalmari, facit eam maiorem alia itidem bipalmari, idque non ex parte termini, sed ex parte fundamenti, quod nimirum ex eo & partibus præuiis resultat; & tamen ipse non est bipalmaris: quanquam ergo differentia, qua de agimus, faciat perfectitatem aut substantiam perfectiorem accidentis inhærentia, eaque simul cum ente, non vero ens sine illa, sit fundamentum proximum eius excessus, nihilominus ea secundum se non debet esse perfectior accidenti, aut illud excedere. Præterea tertio argumentum in isto: multæ denominationes toti conveniunt, quæ in singulis partibus non sunt exigendæ, ut etiam paulò supradictum: an enim corpus secundum se est homo? an anima sola? propterea quod compositum ex utroque sit homo: an similiter hircus est chimæra: an ceruus? propter id quod hircoceruus sit chimæra. Denique quartò absolute respondeo, perfectitatem esse perfectiorem inhærentia, & substantiam accidenti, non ratione solius entis, nec ratione solius differentie innominatæ, sed beneficio vtriusque simul sumptæ, quod optimè fieri posse, exemplis nuper adductis liquescit.

95 Septimum argumentum etiam ex doctrina Patris Suarez citata illa sect. 5. num. 11. Quidquid sit an differentia innominata entis aut perfectionis in communi, simul cum ea perfectitatem aut substantiam constituens, eamque faciens perfectiorem inhærentia accidentis, debeat esse secundum se maior perfectio, at absolute perfectio nequit non esse: qui enim fieri potest, ut perfectio siue entitas in perfectitate inclusa, absque additione perfectionis, euadat perfectior ea entitate & perfectione communi sibi quæ simili, quæ gaudet accidentis inhærentia: aut euadat ea perfectior additione solius differentie innominatæ, cum hæc sola superueniat enti, ab eoque prorsus sit distincta: huiusmodi ergo differentia non potest non esse absolute perfectio. Confirmatur & declaratur: nequit vna quantitas molis, siue tumoris fieri maior alia, cui erat ante æqualis, nisi adiectione nouæ molis: finge enim palmo addi punctum; sanè huius munere neutriquam erit alio maior palmo: addatur tamen eiusmodi palmo noua moles, siue extensio, quantulacumque

que sit: eius metito citra dubium crescat, & alium superabit: similiter ergo quantitas perfectionis, non nisi additione nouæ perfectionis, maior alia euadet, aut poterit: perfectio autem & entitas in communi, qua æqualis est substantia accidenti, perfectas inheret, crescit ac maior euadit accessione solius differentie latentis: hæc ergo aut est perfectio, aut nulla perfectione denuo addita, vnum alio incipiet esse perfectius.

96 Enimvero quantum mea opinio est satis inconsequenter se gerunt, qui sic arguunt, & augmentum perfectionis contendunt, non posse proficisci à differentia, quæ non sit formaliter perfectio aut entitas: nam si, vt aliqua differentia perfectionem augeat, debet eo ipso esse perfectio, non qualemcumque sanè oportet eam esse, sed nouam ac distinctam à perfectione in communi, quam crescere facit, & in perfectitate, verbi gratia, quam inheretia accidentis maiorem esse: quod & sponte sua patet, & multo maxime exemplo quantitatis corporeæ contra nos adducto, quippe quæ vt nouum faciat excessum, non qualemcumque quantitatem, sed nouam & à pristina distinctam, ac neutiquam in ea inclusam debet importare: atqui iuxta aduersarios differentia perfectitatis faciens gradum entis, cui adiicitur, perfectiorem eæ, quo gaudet accedens, etiam si hoc ipso debeat esse formaliter perfectio, non tamen distincta à perfectione & entitate vt sic, imo eam intimè & quidditatiuè includens: ipsi ergo suo premuntur argumento, nec satis sibi constant, quando augmentum perfectionis nobis obiciunt.

97 Absolutè respondeo, vt aliquid sit perfectius alio, non est opus, vt habeat plures perfectiones, quam alia, inter se ratione distinctas, & quantum vna sit perfectio seorsum ab alia, & è conuerso: sed satis interdum est, vt perfectio vnus, licet prout talis simplex & indiuisibilis, tamen sit essentialiter diuersa à perfectione alterius, eaque eminentior: hoc pacto quamvis vnus homo sit sanctior alio per plures gradus sanctitatis & gratiæ inuicem distinctos, & eos in quorum singulis essentia gratiæ & sanctitatis salua manet: ceterum Christus est sanctior quauis pura creatura, per Sanctitatem Verbi, indiuisibilem vtrique, & ab omni graduum compositione immunem; idemque visitur in excessu sanctitatis, quo Deus secundum se sumptus creaturas omnes exuperat. Cur igitur perfectio seu entitas in communi, prout contracta per differentiam innominatam, eiusque munere perfectas ac substantiam constituta, non sit essentialiter diuersa, & consequenter maior & eminentior perfectione accidentis propria, quantumlibet talis differentia non sit formaliter perfectio, nullamque perfectionem nouam superaddat, siue, quod iuxta est licet ea & perfectio in communi quam contrahit, non sint duæ perfectiones, duove perfectionis gradus: vt enim, & probatum est, & aduersariis ipsis debet esse in confesso, seorsum ab his excessus perfectionis datur intelligi. Ratio à priori huius doctrinæ est: quoniam maior perfectior duo includit, nempe perfectionem, & eius maiorem, vt sic dicam: vt ergo differentia entis aut perfectionis maiorem perfectionem importet, eam scilicet, quæ exprimitur hac voce, *perfectas*, aut hac, *substantia*, neutiquam opus est, vt sic intimè & quidditatiuè noua perfectio, eamve addat, sed vt solam maiorem, vt sic loquar, adiiciat, adeoque non oportet, vt sit perfectio absolutè, sed tantum vt perfectionis differentia.

98 Porro quod attinet ad exemplum, quo se ruentur aduersarij, quis non videat longe diuersam esse rationem vtriusque quantitatis, eius nimirum quæ

molis seu tumoris est, & eius quæ perfectionis? nam, vt cum Aristotele omnes Peripatetici docent, indiuisibile additum quantitati, eam adæquatè & secundum se totum tangit, ac proinde cum ea penetratur, nullamque facit extensionem, illamve, quod iuxta est, maiorem haud efficit: ad hoc ergo opus est additione, non indiuisibilis alicuius, sed potius diuisibilis partis, ac nouæ molis & quantitatis. Huiusmodi autem ratio, ad præsentem applicata materiam, nullatenus probat differentiam innominatam perfectionis vt sic esse formaliter perfectionem, sed potius contrarium, eam videlicet à perfectione distinguere: etenim, si in compositione physica & continua, impenetrabilitas vnus partis cum alia cui additur, ad eam maiorem efficiendam, conducit & est necessaria, similiter etiam non penetrari differentiam perfectionis cum ea, ab eave non transcendendi, multo magis conferet ad illam maiorem efficiendam, quam si sit formaliter perfectio, & ab eo penetratur. Quod si opinio Zenonis de compositione continui magis ardeat aduersariis, adhuc facilius in eos retorqueri potest exemplum illud, quo solent vt: siquidem iuxta Zenonem palmus, verbi gratia, sit maior accessione vnus puncti, & quin hoc sit moles aut quantitas, molem tamen & quantitatem maiorem efficit: quam ergo differentia aliqua non sit formaliter perfectio, & huius nulla quantitas ei inexistat, aut sit quidditatiua, nihilominus poterit addita enti maiorem cum eo quantitatem perfectionis efficere, seu quod instaret, perfectitatem aut substantiam perfectionem accidenti reddere.

99 Octauum argumentum: creatura suapte natura petit imò nequit non esse realiter producta, & ab aliqua causa superiori pendula: at non prout ens, alias Deus etiam simili dependentiæ esset obnoxius, cum sit ens: ergo penes solam differentiam creaturæ: rursus hæc differentia nominata & expressa creaturæ, aut non includit formaliter ens, & ita à fortiori, si qua datur eius vltima & innominata differentia, illud excludit? aut potius includit ens eiusmodi differentia, quæ exprimitur in ratione creaturæ, & sic erit realiter ab alio producta; cum enim ens, & non realiter improductum; relinquitur vt sit productioni ac dependentiæ subiecta: at non quatenus est ens præcisè: ergo penes differentiam innominatam in se latentem: hæc ergo formaliter & quidditatiuè sumpta nequit non esse producta, & consequenter ens: etenim vt superius cap. 3. parum ab initio argumentabar, quidquid producit ad esse, vi alicuius causæ, eo ipso rationem entis obtinet. Respondeo, creaturam eiusque expressam differentiam, quatenus tales, produci realiter & aliunde pendere, non tamen præcisè quoad gradum communem entis, quem includunt, nec etiam præcisè quoad differentiam innominatam & latentem, quam ei superaddunt; hæc enim suapte natura abstrahit ab esse, ac proinde ab eo quod sit producta vel improducta; illud vero etiam si sit formaliter ipsum esse, non tamen nisi commune & abstractum ab omni dependentiâ & independentiâ. Quocirca tantum penes complexionem entis & differentiam latentis ei superaddita, creatura eiusque expressa differentia dici possunt realiter producta, & tales quæ à superiori causa dependeant. Huc faciunt, ea quibus nuper ostendimus, substantiam seu perfectitatem esse perfectiorem accidenti non ratione solius entis, nec etiam solius differentie ab ente omnino distinctæ, sed ratione vtriusque.

Nonum argumentum: rationalitas, verbi gratia, est vis productiua discursuum: sed non prout ens aut animal, si hæc formaliter includit, aliqui discurrere

currere etiam possent ac ratiocinari belluæ rationis expertes; quævis enim earum est ens & animal; rationalitas ergo est productiua discursuum, penes solum illud occultum additamentum, quod in ea à nobis adstruitur: hoc ergo est actiuum alicuius atque ens aded: siquidem uti supra cap. 3. visum, quidquid est productiuum alterius, eique potest esse conferre, hoc ipso habet esse in se, & est formaliter ens, cum nemo dare possit quod non habet, ut est in proverbio. Occurrendum huic argumento, sicut superiori, rationalitatem esse discursiuam & intellectuum productiuam, non quatenus præcisè est ens aut animal, nec etiam quatenus præcisè eis aliquid superaddit, sed quoad utrumque: pollet enim ea vi, prout est rationalitas, ita verò utrumque coerct.

101 Decimum argumentum: differentia chimære aut negationis, qualis eacunque sit, & siue nominata siue nominis expertes, est formaliter chimæra & negatio: quid enim in chimæra aut negatione esse potest, non formaliter chimæricum & negatiuum? similiter ergo quævis differentia entis, nulla prorsus exempta, erit quidditatiue & formaliter ens: namque utrinque disparitas: Aliqui plus æquo fidunt huic argumento, eiusque antecedens putant esse certum atque exploratum, cum tantum me iudice sit manifeste falsum: etenim primò, vel iuxta ipsos aduersarios, abstrahi potest vniuersa & essentialis ratio obiecti siue cognoscibilis ab ente reali & chimæra ac negatione, quia nimirum quævis harum non minus quam illud propriè obijci potest, & solet nostro intellectui: quin etiam verius est, abstrahi rationem quandam communem entis, analogam illam quidem, ab utroque: at alterutra harum rationum identificatur realiter cum chimæra & negatione, & de eis est verè prædicabilis, quin tamen sit formaliter chimæra aut negatio, sed potius ab utraque, sicut etiam ab ente reali, abstracta: aliquid ergo utrique inest non formaliter chimæricum, aut negatiuum.

102 Secundo; & recidit in idem: chimæra & negatio sunt intrinsecè & essentialiter amabiles, cognoscibiles, singulatim sumptæ indiuisibiles, ut supra lib. 4. huius operis ostensum manet: at amabilitas, cognoscibilitas, & indiuisibilitas intrinseca & essentialis, haud est formaliter chimærica & negatiua, quandoquidem in ea connenit chimæra & negatio, cum ente reali & positiuo. Tercio non est maior, imò minor, imperfectio chimære & negationis, quam perfectio Dei, omni scilicet ex parte circumscripta & illimitata: at in Deo est aliquid, quod formaliter non sit perfectio, sed ab ea sit præcisè, ut eam realiter inuoluat, non solum iuxta eos, qui relationes diuinæ naturæ sibi communi nihil putant entitatis aut perfectionis superaddere, sed etiam iuxta auctores huius argumenti, qui terminationem liberam diuinæ voluntatis omni formaliter perfectione vacuam existimant: ergo etiam in chimæra & negatione aliquid erit, quod tamen realiter seu identice sit chimæricum & negatiuum, hanc tamen imperfectionem formaliter non includat, sed ab ea potius abstrahatur. Quartò cum dubitamus, an aliquid sit possibile, vel impossibile, ens reale seu solius rationis aut chimæricum vel negatiuum, concipimus profecto aliquam eius formalitatem, eamque cognoscimus & ipsam esse ipsam citra dubium affirmamus: at esse chimæricam & negatiuam tunc nobis certo non constat: quamvis ergo reipsa sit chimærica & negatiua, talis tamen formaliter ac ratione nostra haud erit, sed potius ab ea imperfectione distinguetur.

103 Vndecimum argumentum. Differentia illa innominata substantiæ, verbi gratia, eique essentialis,

vel est quidditatiue ac formaliter ens reale, vel rationis, vel carentia, cum hæc immediatè videantur opponi: non ens rationis, aut carentia: ergo ens reale. Respondeo: ens reale, rationis, & carentia opponuntur immediatè, immedatione reali: quare nullus erit conceptus, qui realiter non sit ens reale rationis aut carentia; secus vero in mediatione virtuali, seu rationis ratiocinata, seu formali aut quidditatiua: (his enim terminis perinde vtimur, & idem significamus) vnde reperiri poterit conceptus aliquis, qui formaliter & quidditatiue non sit ens reale, rationis, aut carentia, sed inter hæc medius, qualem profecto differentiam entis esse censemus.

104 Duodecimum argumentum simile præcedenti. Differentia substantiæ, verbi gratia, quamvis innominata, ei tamen essentialis, illa inquam quatenus talis, distinguitur à chimæra & carentia, eisque opponitur: ergo, quatenus talis, est ens. Respondeo; quod opponitur chimære & carentiæ, non debet eo ipso esse formaliter & quidditatiue ens, sed satis est ut differentia vel passio entis sit: cum enim oppositum nequeat esse passio aut differentia oppositi, iuxta communem paraxiam; & chimæra atque carentia enti opponantur; per hoc præcisè quod aliquis conceptus passio sit aut differentia entis, per hoc inquam, circumscripto quouis alio, intelligitur non esse chimæra aut carentia, seu, quod iuxta est, alterutri opponi.

105 Aliter etiam responderi potest, differentias scilicet innominatas entis, per seipsas formaliter, seu quatenus tales, non distingui à chimæra & carentia, eise non opponi, sed per aliquid aliud à se ratione distinctum. Primò, quoniam per aliud substantia distinguitur ab accidenti, & à chimæra atque carentia, sicut per aliud distinguitur homo à bellua & ab Angelo, ab hoc scilicet, quatenus est animal, seu penes vltimum & innominatum animalis conceptum, ab illa vero quatenus est rationalis: at substantia distinguitur ab accidenti per differentiam innominatam in perfectitate latentem: ergo per eam à chimæra & carentia non distinguitur, nec utrius formaliter opponitur. Secundo, quoniam sicut differentia occulta substantiæ, in perfectitate latens, distinguitur realiter à chimæra & carentia, ita humanitas Petri, verbi gratia, ab humanitate Pauli realiter distinguitur; ac humanitas Petri non distinguitur realiter per seipsam ab humanitate Pauli, sed per singularitatem aut hæceitatem à se virtualiter ac ratione distinctam, ut supra lib. 2. probatum est: ergo similiter, &c.

106 Decimum tertium argumentum, prioribus non absimile: omnis differentia substantiæ, verbi gratia, quantumvis innominata, est realis ac positiua differentia, aliàs non substantiam constitutura; ergo est quidditatiue ac propriè ens, quandoquidem huius simpliciter sumpti essentia etiam logica est realitas, ac positiua. Respondeo, differentiam illam formaliter & quidditatiue sumptam dici realem ac positiuam, quia realitatem ac positionem entis, cuius est contractiua, connotat, haud aliter ac res dici solet realiter ac positiue destructa, eiusque destructio realis ac positiua, non quia realitatem aut positionem habeat, sibi intrinsecam & essentialem, sed quia eam destruendo connotat. Quod si differentia illa entis non sumatur quidditatiue, sed materialiter & identice, hoc quidem sensu est realis ac positiua, per veram utique identitatem realem compositione ac realitate entis, easque ita non tam connotat quam includit.

107 Decimum quartum argumentum. Ea differentia innominata est quidditatiue, & formaliter differentia

tia: quid hoc manifestius, aut inter omnes exploratius? sed differentia ut sic, quatenus talis, est ens reale, rationis, aut carentia: ergo differentia illa innominata formaliter & quidditatiue est ens reale, rationis, vel carentia, saltem indeterminatè: cum ergo hæc indeterminatio tolli possit, & differentia illa formaliter chimæra, aut carentia non sit, formaliter ens reale erit: quemadmodum si homo sit formaliter animal vel inanimis indeterminatè, ubi inanimis formaliter non sit, reliquum ac necessarium est, ut censi debeat formaliter animal. Minor probatur: quia differentia ut sic definitur, quod predicatur de pluribus in quale quid: at per particulam, *quid*, non subintelligitur solum ens reale, aliàs definitio differentie chimæricæ & solius rationis neutiquam conueniret: nec ibi subauditur solum ens rationis, aut carentia, aliàs definitio differentie ut sic differentia realibus haudquaquam conueniret: nec etiam aliqua ratio abstracta ab ente reali, & rationis, & carentia, siue ab ente & non ente, potest ibi tacite subaudiri, cum ea ratio impossibilis sit: igitur per voculam, *quid*, in ea definitione subintelligi debet ens reale, vel rationis, aut carentia: atque adeo differentia ut sic est formaliter & quidditatiue ens reale, vel rationis, aut carentia, nisi quis definitionem definitio formalem & quidditativam ausit inficiari.

108 Respondeo in primis, hoc falso supponi, differentiam aliquam, ut sic & in communi, ab omni & singula differentia etiam simpliciter simplici abstractam reperi, eamque prout talem alicui definitioni esse subiectam: ut enim sapientius dictum est, à differentia simpliciter simplici nihil abstrahi potest, in quo cū aliis formaliter cōueniat, quandoquidē omnis cōueniētia cum summa ac simplicissima eius diuersitate repugnat: quocirca definitio illa vulgaris, *quod nimirum predicatur de pluribus in quale quid*, soli differentie nominatæ ac mixtæ in cōmuni cōperit, non vero differentie simpliciter simplici ac nominis inopi: proinde indeterminatio adducta de huius conceptu quidditatio nec potest nec debet esse, ut ut eā præfata definitio inuoluatur. Rursus secundo: quāuis demus differentiam ut sic etiam abstractam ab innominatis & simpliciter simplicibus, eisque non minus quidditativā & essentialē, quam est animal, v.g. respectu hominis; itē rationē, quæ ita abstrahitur & abstracta definitur, indeterminatōnem in argumento obiectā recto tenus exprimere; at cur eiusmodi indeterminatio criminēbris esse debet? cur solum ens reale, rationis, & carentia cōplecti: cur nō insuper aliquē cōceptū ab eis virtualiter seu ratione distinctū, hoc modo, *differentia est ens reale, vel rationis, vel carentia, vel aliquid ab eis virtualiter distinctum, quod predicatur de pluribus in quale quid*: quare cū vltima & innominata ratio perfectatis, v.g. sublata ea indeterminatōne differentia esse dicitur, conceptus aliquis ab ente virtualiter distinctus remanere poterit, & nō necessārio ens, ut argumentū colligit. Demū, sicut, iuxta auctores huius argumētū, hæc numero perfectio libera Dei est indeterminatè hæc aut illa volitio opposita, creandi, v.g. vel non creandi mundū, est in quā formaliter & quidditatiue loquēdo, quin sublata indeterminatōne destinatè hæc volitio præ alia remanere debeat, in hunc modū: perfectio libera Dei non est determinatè hæc volitio: ergo est determinatè volitio opposita siue obiecti oppositi, alias iuxta ipsos deficienter alterutra earū volitionū, aut terminationū Deo deficeret aliqua perfectio libera: proinde hæc, inquit, sita formaliter esse debet, in vtriusque volitionis indeterminatōne seu disunctione, qua nequit Deus carere: sicut in quā ista in eorū principiis ita se habet, sic similiter differentia vltima, quæ latet in perfectate

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

poterit esse indeterminatè ens reale, rationis, aut carentia, quin sublata hac indeterminatōne, eo ipso debeat ens reale formaliter remanere.

Decimum quintum argumentum. Differentia illa vltima, & innominata entis, cum eo constituens substantiam, v.g. aut perfectatam, hoc ipso complet & integrat, pro posteriori quodam signo, rationem communem entis, ut hæc sine ea esset incompleta: igitur est complementum & integritas entis formaliter & quidditatiue: igitur eius est perfectio: demum igitur est entitas, hæc enim cum perfectione recurrit, & eius est synonyma. Respondeo, perfectionem primò sumi posse, quatenus cum ente aut entitate est omnino eadem: ita eam accipit Aug. lib. 8.3. questionum, q. 24. Omne inquit, *quod est, in quantum est, bonum est*, & lib. 6.3. de libero arbit. c. 15. *Quidquid est sicuti esse debet bonum est*, & lib. 1. de doct. Christiana c. 32. *Ac cetera quæ sunt, nisi ab illo, puta à Deo, esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt ut sint*. Quibus verbis, perfectionem seu bonitatem cum entitate formaliter eandem esse luculentissimè adasserit: eum autem sequuntur, tum P. Suarez in metaphysica, tum alij passim scholastici. Secundo perfectionē dico sumi quidē ita posse & solere, ut nihil aliud formaliter sit, quam quævis differentia vltima, ens pro posteriori quodā signo intrinsecè efficiens, & hoc præstans, ut à quocunque alio ente differat, eoque sit maius aut eminentius, minusve aut ignobilius: quod equidem præstare potest, quin sit formaliter entitas aut perfectio illa positiva, quæ cum entitate recurrit, eademque prioris est, uti superius à nobis probatū manet: quocirca perfectio hoc secundo modo sumpta, etiam si latissimè pateat ac fusa sit, neutiquam tamen est ratio aliqua communis & abstracta, sed conceptus quidam vagus & æquiuocus, & modò supponens pro hac differentia, modò pro alia, ubi etiam supra edocimus. Quibus præmissis: differentia vltima & innominata, qua de agimus, complet & integrat ens, in secundo sensu nuper explicato: hinc tamē minimè fit, eam esse perfectionem, prout perfectio cum ente aliave ratione cōmuni abstractaque recurrit & eadem est, sed duntaxat quod sit perfectionis hoc modo sumpta, siue entis differentia, nec nisi perfectio æquiuocæ & perfectiori ratione sumpta: quod nobis non obstat, & aliud nō est quam eiusmodi differentiam formaliter & quidditatiue differentia esse. Ceterum ea non complet nec integrat ens in priori sensu, haud ita supra exposito: hoc enim esset enti attribuere rationem entis, quam tamen quia per se habet, aliunde nec potest nec debet emendicare: cum ergo integritas, & complementum, ac perfectio in solo illo sensu prius tradito, enti æquipolleat, non est profecto, cur differentia simpliciter simplex & vltima, huiusmodi perfectionis expers, ens formaliter esse possit, aut postulet.

Decimum sextum argumentum: nequit à nobis concipi differentia illa, quæ latet in perfectate, v.g. aut inhærentia, non concepto ente: ut enim præter alios multos disputat Sotus in antepredicam. c. 4. q. 1. art. 2. *primum quod de quacunque re intellectus concipit, est esse ens*: signum igitur est, quidquid est in qualibet re etiam innominatum ac latens, esse quidditatiue ac ratione nostra ens: alioqui cur sine eo concipi nō posset? quo pacto rationalitas, quia nō est quidditatiue risibilitas, v.g. sine illa apprimè cognoscitur. Respondeo, multa à nobis ente incognito ac neutiquam expresso cognosci: vel ipsa experientia cōstat luculenter multoties enim animal, v.g. aut rationale aliudve quidpiā simile cogitamus entis omnino securi, ac de illo interrogati, eius nobis in mētē venisse negamus: quāuis autē nulla experientia constare possit, quoties rationale, v.g. aut animal

Z

animal aliudve quoad primum & quidditativum eorum conceptum animo agimus, ne tum quidem ens nobis obversari, sicut hominem sine animali rationali cognoscimus, quoad eius secundarium conceptum, non vero quoad primum & essentialem; ceterum contrarium etiam nullo experimento aut argumento compertum est de ente, comparatione animalis aut rationalis aliarumque rerum penes ultimas & innominatas earum differentias: quid enim cogit, has nunquam quidditatiue ac primario sumptas cognosci posse aut solere, nisi cognito ente? quapropter negandum hoc est, vel ob id solum, quod eius connexionis in cognoscendo inter conceptus quidditatiue ac formaliter diversos nulla sit necessitas. Rursus secundo respondeo, & ultro permitto, nihil positivum ac reale etiam innominatum ultimumque cognosci posse ignorato ente: quid inde? creatura nequit esse sine Deo, hic tamen non est de illius essentia reali: quamvis ergo non possit concipi differentia simpliciter simplex ac nominis expertis sine ente, non propterea hoc erit de illius essentia logica, seu rationis: item ens fictitium ac solius rationis neutiquam cognosci potest, nisi cognito ente reali, & ad instar illius: nihilominus haud est realiter ens reale ac positivum, ne dum ratione nostra: à fortiori ergo connexio illa in cognoscendo differentia simpliciter simplicis & entis, nullam utriusque identitatem quidditatiuam, nullam indistinctionem rationis arguet.

111 Decimumseptimum argumentum. Differentia illa occulta non est indivisibilis & simplex, sed in quavis re infinities multiplex virtualiter, seu ratione ratiocinata: quidni ergo inter tot formalitates gradum entis quidditatiue includat? Respondeo, in sententia eorum, qui alios quosvis gradus logicos seu metaphysicos nominibus notos suis indivisibiles ac numero finitos in quavis re statuunt, id ipsum dicendum esse de differentis innominatis: aliud enim est nomine, aliud numero carere. Si qui vero nobiscum tueri velint infinitatem graduum ubilibet, ij omnium & singularum rerum differentias etiam innominatas infinities diuisibiles esse, tenentur propugnare: plures enim differentiae sunt, quarum nomina nos latet, quam quas nominare possumus, ut in ceteris etiam rebus accidit: haec igitur posteriores, si sunt numero infinitae, quidni & illae priores?

112 Postremum argumentum est, nos denique post longas ambages recidere in sententiam Scoti supra c. 3. impugnata: ea namque erat, differentias ultimas ab ente minimè transcendere: qui nobis etiam nihil haecenus magis familiare fuisse videtur, quam hoc ipsum. Imò vero nihil minus: siquidem Scotus differentias ultimas, nominatas illas quidem, docet entis formaliter expertes esse, ut constat ex variis eius interpretationis superius adductis: nos autem differentias ultimas solum innominatas, nullas vero nominum compotes, ab ente transcendere hucusque docuimus: porro eiusmodi differentias appellauimus ultimas, non in vltimo sensu, qui Scoti solent attribui; sed quia omnis conceptus diuidi potest in duos, alterum completum, & nomine suo notatum notumque, alterum incompletum & nomine vacuum; quorum ille, quoniam prior quoad nos est, seu manifestior, ob id conceptus rei non vltimus dici debet, hic vero, quoniam quoad nos est posterior, idcirco rei differentia vltima appellari debet quodammodo, quantumvis alioqui infinitas formalitates inuoluat. Superius quoque c. 2. explicauimus alia plura, in quibus à Scoti diffidimus: sed bene est, quod etiam in non paucis tantus Doctor nobis faueat, atque patrocinetur: cuius tamen nostrumque dissensio & etiam consensus clarius ut patere, & nulla foret ambiguitatis, nulla praesentis

calumniae, quam subodorati sumus, occasio, data opera aliquid semper ei addidimus voci, unde nunc impetitur, atque differentias, de quibus lis est, non solum ultimas, sed vna innominatas, aut simpliciter simplices appellauimus.

Haecenus tertia nostrae opinionis pars: Cetera 113 comprehendunt modum, quo differentias innominatas, & expertes entis, ab eo distingui volumus, necnon illum reprehendunt, quo alij talem distinctionem, & coniunctam cum ea non transcendentiam entis explicant. Quocirca, uti ad utrumque probandum argumenta vltro citroque adduci solita, quia praesentis loci non sunt, consulo omisimus, ita etiam quae in utriusque probationem afferri possent, alio transferenda, quoniam non magis huius sunt loci, censuimus.

CAPVT. IX.

Quaedam alia opinio media de transcendentia velut probabilis proponitur, ac defenditur.

114 Haecenus medio veluti tramite inter alios auctores incessimus, & non omnes differentias transcendendi quidditatiue ac formaliter ab ente, nec omnes ab eo transcendendi, sed nominatas tali transcendentiae obnoxias & innominatas eius immunes esse, statuimus. Modo alium etiam transcendentiae modum cum aliquo non transcendentia coniunctum, eumque magis operosum & difficilem, quoniam videlicet est entis non respectu aliarum, aliarumque differentiarum, ut hucusque, sed respectu vnius & eiusdem, aggredimur. Quocirca pro eius intelligentia & probatione, nonnulla sunt praemittenda.

115 Quorum primum est, in quacunque re quantumlibet realiter vna & indivisibili, esse tamen infinitas formalitates virtualiter seu ratione ratiocinata distinctas. Quemadmodum enim negationes seu carentiae inter entia realia & rationis media sunt, ita quoque distinctio virtualis inter reale & rationis solum ratiocinantis & extrinsecæ medium locum obtinet, si qua datur, ut plerique putant, eiusmodi distinctio rationis ratiocinantis. Atqui negationes & carentiae, tam in Deo quam in creatura quavis, iuxta aduersarios etiam sunt infinitae, veluti cum materia prima caret innumerabilibus formis substantialibus, & Deus infinitis decretis liberis, quae pro arbitrio suo poterat habere; tamen si alia ex parte infinita entia realiter distincta, nequeant saltem naturaliter reperiri: quidni ergo distinctio virtualis siue media infinities multiplex possit esse? quidni Deum & creaturam quamvis in formalitates infinitas dissiccare? tamen si distinctio realis, ac determinata partium infinities multiplex non possit in ullam prorsus rem conuenire.

116 Rursus in intellectu diuino summè simplici sunt tamen infiniti actus scientiae liberae inuicem virtualiter distincti, quibus nimirum infinitas carentias rerum, quas non produxit, cognoscit, necnon scientiae mediae quibus infinitos euentus conditionatos assequitur: quemadmodum enim quavis carentia sine alia potest inueniri, & quouis euentus hypotheticus sine alio, ita Deus vnamquamque carentiam sine alia, & quemlibet etiam euentum sine alio poterit cognoscere, & affirmare. Proinde quemadmodum carentiae & euentus conditionati distinguuntur inuicem, ita etiam eorum cognitiones erant in Deo infinities distinctae: at non realiter etiam inadæquate, si prout existimant plerique, nihil extrinsecè ex obliquo includunt: adeoque virtualiter eas distinguere oportet. Quapropter

Quapropter à fortiori in qualibet creatura, quæ est eius compositio, infinitæ formalitates virtualiter distinctæ poterunt inueniri. Ratio à priori huius doctrinæ est, quia distinctio virtualis, quantumvis sit prædicatorum contradicentium radix, est tamen improprie & secundum quid distinctio; unde quamvis rem creatam infinitis distingui ac plurificari virtualiter, non est eam strictè & simpliciter loquendo infinitis multiplicem ac distinctam esse: quidni ergo infinitam illam pluralitatem ac distinctionem solummodo virtualem subeat? Hactenus præmissa satis esto breuiter attigisse, nam lib. 2. huius operis tractata sunt vberiori filio & magis ex professo.

117 Secundum, quod præmitti oportet, est, quamvis probabile sit, has infinitas formalitates à nobis adstructas, si singulatim sumantur, esse virtualiter indiuisibiles: cæterum non minus, imo forsitan magis probabile esse, quod nulla earum sit indiuisibilis, (vna sola, de qua paulo inferius, excepta) sed infinitis viterius diuisibilis. Declaratur & corroboratur primum, exemplo compositionis physicae & integralis: etenim, ut Aristotelica ac verior sententia tenet, continuum physicum constat partibus proportionalibus, quarum nulla est indiuisibilis, sed potius in alias infinitas infinites diuisibilis: quidni ergo similiter continuum metaphysicum seu logicum homo, verbi gratia, coalescat ex formalitatibus ac differentiis infinitis, quarum tamen nulla sit indiuisibilis, nulla non infinitam diuisionem capiat? Deinde, nulla formalitas, aut differentia hominem, verbi gratia, constituens metaphysicè seu logicè, quantumcunque eam indiuisibilem fingamus, simplicitatem Dei excedit: at Deus in infinitas formalitates virtualiter distinctas est diuiduus, scilicet per ordinem ad infinita obiecta, quæ quidem infinitis actibus intellectus aut voluntatis attingit: similiter ergo omnis differentia creata, quantumvis indiuisibilis appareat, nisi aliunde obstat, in alias vteriores poterit infinitè subdividi. Præterea tertio: respectus ad diuersa connotata distinctionem rationis ratiocinatæ seu virtualem intrinsecam arguit, atque efficit: sed quævis formalitas creata eni ut sic superaddita, quantumvis eam indiuisibilem imaginemur, diuersa connotata respicit, verbi gratia, risibilitas Petri risum quem producit, Deum à quo ipsa producit, rationem admiratiui à qua immediate, rationalitatem à qua mediatè inferitur, passionem item aliquam, quam immediate, & aliam quam mediatè subinfert, animalitatem cui communiter accidit, hominem cui propriè conuenit, risibilitatem Pauli, cui similis est, & rugibilitatem Leonis, cui dissimilis: atque id genus sexcenta excogitare potes, ad quæ nominatis vel saltem innominatis respectibus ea feratur.

118 Ex his iam inferitur, quamvis admissa infinita diuisibilitate formalitatum ac differentiarum, eaque omnis indiuisibilitatis prorsus experte, probabile sit, ob rationes adductas superius cap. 4. differentias innominatas entis, ut vt ita sint perpetuò diuisibiles, ab eo quidditatiuè non transcendendi, nec adequatè nec etiam inadæquatè, sed potius esse omnino extra rationem & quidditatem illius, haud aliter ac risibilitas, v.g. se habet contemplatione rationalitatis; cæterum etiam probabile esse, quod ens sit de conceptu quidditatiuè earum differentiarum, nullaque earum & nullius formalitas vlla possit assignari, quæ non sit formaliter ens, ita tamen ut quævis sit ens, non præcisè, sed ens & aliquid aliud, & hoc aliud, etiam ens & nonnihil aliud, & hoc tertium aliud præterea, & sic in infinitum, quin vnquam deuenire sit ad forma-

R.P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

litatem minimam & indiuisibilem, quæ se tota sit alia ab ente, ab eoque omnino distincta. Proinde hoc pacto ens differentias suas etiam innominatas, omnes, & singulas, partim transcendet, partim non transcendet, id est eas inadæquatè transcendet, secus verò adequatè.

119 Probatum ac declaratum hæc doctrina adducto compositionis integralis exemplo: quoniam pars A continui inadæquate solum tangitur à parte B, & similiter medietas partis A. & eius quarta pars, & sexta, & octaua, & sic in infinitum, quin aliquando deuenire sit ad partem vsque adeo exiguam, quæ se tota positiuè immediata sit parti B, ab eaque adequatè tangatur: quod quidem inter Aristotelicos omnes nil familiare magis, nil exploratius. Pari ergo ratione cuiuslibet rei quæcunque differentia positiua erit ens, ab eoque non localiter sed, ut sic dixerim, quidditatiuè tangetur, haud tamen se tota, sed inadæquatè duntaxat: rursus eius veluti medietas, seu, quod eodem redit, alia vltior differentia in ea clausa, & huius medietas alia quoque, & sic in infinitum eodem modo se habebunt respectu entis, quin vnquam sibi possit in aliqua vltima & indiuisibili differentia, quæ sit adequatè & se tota formaliter ens, ab eoque funditus exauriatur. Quemadmodum autem contactus quantitatiuus semper inadæquatus & indeterminatus percipi nequit, si continuum physicum duntaxat ex partibus indiuisibilibus coalescat, ut in physica explicari consuevit, ita etiam transcendentia entis semper inadæquata & indeterminata, superius explicata, implicatissima manebit, nisi continuum metaphysicum ex formalitatibus nullo fine diuisibilibus componatur.

Rursus secundo suadet eadem doctrina: quoniam iuxta eam omnia argumenta, quæ in præsentia materia difficultatem aliquā vltro citroque faciunt, facili negotio diluuntur. Quæ namque adducuntur ad probandum entis transcendentiam, aliud haud conuincunt, quam nihil prorsus esse quod non sit formaliter ens: at hoc nos in præsentiarum libenter admittimus: quæ verò asserti solent ad improbandam entis transcendentiam, quid aliud suadent, aut possunt quam nullum conceptum aut formalitatem assignari posse, ubi non sit aliquid aliud ab ente? atqui hoc etiam nunc vltro concedimus. Sententiam igitur à nobis hoc capite propositam suadent, quæcunque ab aliis pro se adduci consueverunt.

C A P V T Postremum.

Solvuntur argumenta quedam aduersus superiorem doctrinam.

121 Atque imprimis, non pauca rationes quibus supra c. 4. suadebamus, ens non transcendere differentias occultas ac nominum expertes, ita accommodari possunt, ut illam non transcendentiam cum nulla transcendentia coniungi, & non inadæquatè duntaxat esse sed adequatam, probare videantur. Argumentaberis igitur primo in hunc modum: substantia, v.g. aut perfectitas est similis & dissimilis accidenti: atqui esse dissimilem eam, iuxta nos, est non esse similem: quæ igitur in perfectitate differentia latet sicuti est dissimilis accidenti, ita etiam est ei non similis, siue quod in idem recidit, non est ei similis: cum ergo ens sit ratio conueniendi seu assimilandi, necessum est, ut eiusmodi differentia non sit formaliter ens: vana proinde & inutilis est transcendentia illa inadæquata & indeterminata entis: haud enim præstat ut omnis differentia sit formaliter ens, cum tamen huius gratia adstruatur.

Z 2 Respon

122 Respondeo, differentiam illam esse non ens, aut quod iuxta est, non esse formaliter ens, merito scilicet dissimilitudinis sibi insitae: ceterum beneficio transcendentiae illius indeterminatae ac nunquam cessaturae, esse etiam formaliter ens: quoniam vero constat infinitis formalitatibus, idcirco non penes idem, sed penes aliud semper & aliud subest eiusmodi praedicatis oppositis, & simul est ens & formaliter non ens: quapropter haec non sunt propositiones contradictoriae, ac simultaneae veritatis incapaces: quae enim tales sunt debent praedicata opposita enuntiare, atque asserere & negare idem, de eodem etiam, non tantum re sed ratione ratiocinata. Hinc patet ad alia similia argumenta, quae quidem multa ex praedicatis contradictoriis graduum omnium inaequalium propriis, aduersus nostram possunt opponi.

123 Argumentaberis secundo: ens & differentia illa innominata à qua abstrahitur, vel hoc ipso nomine virtualiter distinguuntur, ut etiam nobis est in confesso: sed distinctio omnis debet esse reciproca: ergo sicut ens secundum se totum distinguitur à differentia, & nihil eius est quod sit quidditatiue differentia, aliàs ab ea nequirer abstrahi, ita è conuerso differentia secundum se totam erit ab ente distincta, & ab eo ne inadæquate transcendendi se parietur. Futile argumentum: quo nimirum probaueris rem prorsus improbabilem, nempe ut animal secundum se totum includitur formaliter in homine, ita etiam hunc ex toto includi formaliter in animali: utrinque enim distinguuntur, & omnis distinctio debet esse reciproca.

124 Deinde respondeo, ut entis & differentiae mutua sit distinctio atque reciproca, satis esse, ut sicut ens distinguitur virtualiter à differentia, ita è contrario, non tamen requiri, ut quemadmodum ens se toto est extra differentiam, ita etiam haec se tota sit extranea enti: indiuisibilitas enim entis illud aut inadæquate, aut certe nullo modo esse extra conceptum essentialem differentiae postulat: huius vero infinita diuisibilitas potius contrarium suo sibi iure vendicat. At instabis ex aduerso; quantum distinguitur vnum extremum ab alio, tantundem hoc posterius oportere distingui ab eo priori; secus vero in praesenti accidere: ens enim plus distinguitur à differentia, quam haec ab illo: siquidem entis à differentia distinctio est adæquata, cum tamen differentia ab ente tantum inadæquate distinguatur. Respondeo, distinctionem utrobique esse inadæquatam: ut enim ens distinguatur adæquate à differentia, haud satis est, illud adæquate sumptum & secundum se totum ab ea distingui, nisi etiam ab ea adæquate ac totaliter sumpta distinguatur: nam uti relatio, verbi gratia, dici non solet realis, nisi quando utrumque extremum est quid reale, quare entis ad non ens nulla est relatio realis, ita quoque ad distinctionem adæquatam, utriusque extremi adæquatio requiritur: cum ergo ens non sit extra differentiam adæquate sumptam, nec huius ab illo, nec illius ab hac distinctio poterit esse adæquata. Confirmatur: quod differentia sit distincta ab ente totaliter sumpto, non facit eam adæquate ab illo distingui, quia nimirum non secundum se totam ab eo est distincta: igitur eadem de causa ens non distinguetur adæquate à differentia, sed duntaxat inadæquate, quantumlibet se toto sit extra illam. Confirmatur secundo: quoniam non tantum homo ab animali distinguitur inadæquate, sed etiam animal ab homine, & tamen nihil animalis est quod non sit formaliter inclusum in homine: quomodo ergo nihil entis non includatur quidditatiue in differentia, & ab hac se toto possideatur, nihilominus erit ab ea inadæqua-

tè distinctum, haud aliter ac ipsa sic ab ente distinguitur. Confirmatur tercio: quoniam non solum distinctio modi à re absoluta, sed etiam huius à modo, dici solet modalis, videlicet ob modalitatem vnus tantum extremi: ergo similiter in praesenti, &c.

125 Aliter etiam responderi potest argumento principali & instantiae ad quam reuocatur eius tota vis, scilicet distinctionem à differentia sibi superaddita esse adæquatam, & differentiae ab ente inadæquatam, ac licet contrarius loquendi modus probabilis sit, ut iam visum, hunc tamen haud improbabilem esse: ceterum propterea haud magis ens à differentia quam è conuerso distingui, ac proinde utriusque distinctionem reciprocari. Quae solutio luculentior & clarior ut sit, animaduertendum est, distinctionem adæquatam, & inadæquatam aliquando versari inter eadem & extrema, veluti cum anima adæquate ac se tota ab homine, & hic ab anima non se toto, sed inadæquate & secundum corpus distinguitur: tum autem utramque aequipollere: ecquid enim est vnum extremum ab alio distingui, quam hoc aliud esse ea ratione qua potest à priori distinctum: atque adeo neutram altera maiorem existimandam: aliquando vero contingere, ut ambae sint non inter eadem extrema, sed oppido diuersa, veluti cum homo dicitur adæquate ab equo, & inadæquate ab anima sua distinctus, ac tum alteram altera, videlicet adæquatam inadæquata maiorem esse, ut sponte sua claret. Porro distinctionem adæquatam entis à differentia, & huius inadæquatam ab illo versari inter eadem extrema; quare neutram alteri decedere. Sic diuersitas entis, verbi gratia, à non ente haud est maior quam huius ab illo, esto prior à non paucis dicatur relatio realis, posterior vero solius rationis: contra vero diuersitas vnus entis ab alio maior ab iisdem censetur, quam diuersitas non entis ab ente, quod est fundamentum prioris relationis realis; quoniam scilicet in vno casu utraque relatio, nimirum realis & rationis, eadem extrema interest, eadem separatur, secus vero in alio. Sic etiam distinctio rei à modo dici consuevit ab aliquibus, & non ineptè, realis absoluta, & tamen non est maior modalis, per quam modus vicissim à re fecernitur; cum tamen, si sermo sit de distinctione absoluta rei ab alia re, & eiusdem modalis distinctione ab aliquo modo suo, prior illa distinctio sit hac posteriori iuxta non paucos, maior: ratio autem discriminis haec solet tradi, quoniam nunc utraque distinctio inter eadem extrema, nunc inter diuersa versatur, atque adeo interdum aequipollent ambae, interdum vero altera alteram superat.

126 Denique responderi potest eidem argumento, ens secundum se totum haud distingui à differentia, sed potius aliquid eius esse, quod sit quidditatiue differentia prout talis; hanc tamen inclusionem differentiae in ente non obstat, quo minus ens ab ea possit abstrahi, quoniam videlicet nulla differentia adæquate, & determinate sumpta formaliter includit, sed de quavis minus & minus in infinitum, ita ut nihil possit assignari, quo non sit minus aliquid differentiae clausum in ente: quemadmodum ergo pars A. v. g. cōtinui non penetratur cū alia sibi cōiuncta, sed est extra illā localiter, quia eam versus minus & minus in infinitum tangit immediatè & positiue, quin vlla eius particula designabilis sit, qua non alia minor parti A. magis immediata existat, ita similiter ens poterit abstrahi à differentia, & esse extra illam, non localiter, sed intellectualiter, ut sic dicam, quia eam semper versus

versus minus & minus tangit, non quidem vbitatis, sed identitatis contactu: sed de his plura in loco. Tot autem solutiones adhibui argumento præcedenti, quoniam licet reuera sit parum solidum & evidenti instantiæ obnoxium, quandam tamen probabilitatis speciem habet, qua posset aliquibus fucum facere: tum etiam quia occasionem præbet doctrinæ, quæ ad alias plures difficultates diluendas apprimè defertur.

- 127 Argumentaberis tertio: proprium, v.g. risibile, penes eius innominatum & vltimum quodammodo conceptum, non prædicatur in quid, sed in quale: at si quoad talem conceptum esset essentialiter ac ratione nostra ens, beneficio scilicet transcendentis inadæquatæ & indeterminatæ, qua tamen ens in eo aliud & aliud in infinitum reperiat, nil tamen adeo aliud à se patitur, ut non modo in quid: quidditatiuè inclusum; profecto proprium, quoad omnem sui formalitatem, prædicaretur in quid, atque adeo quoad nullam præcisè in quale, quandoquidem ens, quod semper importat, quidditatiuè & essentialiter est speciei, & indiuidui, de quibus prædicari consuevit. Respondeo, proprium penes eius vltimum quodammodo, siue innominatum conceptum, eoue qui nominatur posteriorem quoad nos, notioemque, nec ens, nec aliud prædicatum quidditatiuè in se adæquatè sumptum includere, sed tantum inadæquatè, & versus minus & minus sine fine: hoc autem abundè esse, ut tantum in quale dicatur, nullo vero modo in quid: quod enim in quid enuntiat, id adæquatè & ex toto sumptum debet esse quidditatiuè, ut conspiciere est, in animali, ac rationali, quorum quodlibet adæquatè sumptum homini & eius indiuidui est quidditatiuè & essentialiter, ut certo certius. Et profecto quidditatiua prædicatio ita commodè potest explicari, & ab ea, quæ tantum est in quale, distinguui.

- 128 Argumentaberis quarto: inuenitur aliqua ratio conueniendi simpliciter simplex, seu, quod perinde est, omnis differentie formaliter expers: videlicet ens reale ut sic, aut certe quidpiam commune & abstractum ab eo & ente rationis, iuxta diuersos sensus supra explicatos: debet ergo dari ratio differendi simpliciter simplex, id est omnis conuenientie formaliter exors: at si quæuis differentia esset formaliter ens, quamuis etiam ab eo quodammodo alia atque distincta, sanè nulla esset ratio differendi simpliciter simplex, nulla, quæ omnis omnino conuenientie esset immunis: quæuis enim in ente cum alia quacunque re propriè conueniret, sicuti homo, licet inadæquatè tantum sit animal, in eo tamen censetur cum aliis conuenire.

- 129 Respondeo, in primis esse probabile, iuxta ea quæ paulo supra diximus, hoc ipso capite, in solutione vltima secundi argumenti, nullam prorsus inueniri rationem conueniendi simpliciter simplicem; & ens, quantumuis abstrahatur à substantia & accidenti, Deo & creaturis, aut, quod plus est, à reali & solius rationis, semper complecti quidditatiuè differentias à quibus sit eius abstractio, scilicet versus cuiusvis earum minus, & minus in infinitum. Quoniam tamen hæc doctrina non paucis est displicitura, & contraria fortassis est probabilior, deinde dico plura esse argumenta, eaque satis efficacia, quæ probent ens abstrahi à differentiis omnibus: fieri autem non posse, ut ita sit abstractum, & differentias à quibus abstrahitur, formaliter inuoluat: quapropter eas excludere, & rationem conueniendi simpliciter simplicem esse: ceterum nec ea argumenta, nec alia suadere eas & conuerso abstrahi ab ente, & ab illo neutiquam transcendendi: quæ enim adducta sunt

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

superius cap. 4. maioris esse momenti: at cuncta solam non transcendentiam inadæquatam entis conuincere, & adæquatam ad summum probabilem reddere.

Argumentaberis quinto. In compositione physica, & reali, altera pars distinguitur ab altera, & è conuerso, non vtrunque, sed adæquatè, & ita ut neutra includatur vllatenus in alia: haud enim anima, verbi gratia, est realiter corpus & aliquid aliud, aut corpus è contrario illa & insuper aliud quidpiam: imo vtrunque nihil habent realiter idem: similiter ergo partes aliquid metaphysicè seu ratione nostra componentes sese ex integro excludent, & neutra aliam vllatenus coercebit, neutra se ab alia etiam inadæquatè transcendendi patietur. Respondeo, vtrumlibet compositionis physice extremum omni prorsus infinitate haud raro destitui, ut verbi gratia, cum indiuisibilis anima rationalis puncto materiæ, vel simplici actui intellectus aut voluntatis vnitur: quocirca nil minus esse, si vna pars non debeat nec possit includi realiter inadæquatè in alia physica, idque in infinitum: at omnem compositionem logicam saltem ex parte vnius extremi, eius scilicet quod enti superuenit, infinitudinem quandam suo sibi iure vindicare; quapropter inclusionem logicam inadæquatam, nunquam cessaturam, ibi locum habere. Quod si istes, extrema compositionis physice sapissimè etiam infinita esse, & innumerabili quadam multiplicitate prædita, toties nimirum quoties ea compositio est partium alicuius continui; hoc in primis est per accidens, & præter exigentiam compositionis illius, quatenus est præcisè physica & realis, ac proinde minimè computandum: deinde ibi etiam inclusio realis inadæquata aliquarum partium componentium in aliis, nullum vtrique finem habitura cernitur, veluti cum palmus in duas partes, & harum quæuis in alias minores secatur, atque ita in infinitum, vbi istarum partium inæqualium & sine fine decrecentium maiores cum minoribus, & minores cum maioribus, identitatem fortiuntur inadæquatam, tamen omnes in vnum integrale totum coalescant. Bene certum est, in continuo partes æquales, etiam infinitas, tamen adæquatè distingui, necnon materiam & animam rationalem, quamquam altera sit infinitè diuidua, similiter ex toto esse realiter distinctas: quid tamen inde? nonne etiam est inuenire compositionem aliquam metaphysicam seu logicam, cuius extrema sint adæquatè distincta, ratione nostra, & alterum omnino extra quidditatem alterius: ut verbi gratia, cum rationalitas nobis & Angelis communis cum animalitate aut cum risibilitate compositionem logicam primariam, vel secundariam efficit.

Hactenus argumenta, quibus supra cap. 4. sumus vsi, modo aduersus nos retorta: quibus id saltem largior, sententiam ibi positam probabilissimam esse, licet hæc etiam, quæ præ manibus est, haud sit improbabilis. Nunc alia argumenta aggredior, quorum primum, sed respectu superiorum, textum esto: reperiuntur in continuo non partes modò proportionales, ac semper diuisibiles, sed etiam indiuisibilia non pauca: qui ergo vtimur exemplo continui physici, eoque compositionem metaphysicam explicamus, in illa non formalitates omnes sine fine diuiduas, sed multas indiuisibiles adstruere debemus. Respondeo, ita prorsus esse, quod argumentum assumit, & quod colligit: at hoc falso supponi, nos in compositione metaphysica seu logica

quam latè patet, nullas formalitates indiuisibiles agnoscere: fateamur enim esse non paucas, videlicet gradus entis, qui vbiuis indiuisibiles sunt, & nullibi non reperiuntur.

132 Sed argumentaberis septimò, cum aduersus totam sententiam, tum potissimè contra præcedentem solutionem. Datur in continuo physico, quodcunque sit, non vnum aliquod indiuisibile, sed infinita eorum multitudo, ex quibus alia sunt inter media, alia terminatiua: at à nobis in quolibet continuo metaphysico seorsim sumpto, v.g. animo rationali, aut Angelo, neutiquam assignari potest, nisi vnica indiuisibilis formalitas: neutrius enim est nisi vnus simplicissimus gradus entis: quod autem huiusmodi gradus indiuisibilis infinities multiplicetur in diuersis rebus parum interest, haud enim ex compositionem vllam logicam efficiunt, haud in vnum aliquod totum huius generis coalescunt, cum sint realiter distinctæ: quinimo multoties ne realiter ac physice componuntur. Respondeo, gradum illum entis, quamuis vnum duntaxat, sese immiscere omnibus, & singulis formalitatibus infinitarum in quas secatur anima nostra, & earum nullam esse, quam non transcendat: quapropter etiam si non sit nisi vnicum indiuisibile logicum, æquiualeat tamen infinitis indiuisibilibus. Hæc autem ratio non procedit, in continuo physico, cuius nullum indiuisibile omnes & singulas eius partes per contactum, & præsentiam localem occupat: quamobrem infinitis erit opus, siquidem nullum infinitis æquipollet, eorumve pondus & instar habet.

133 Argumentaberis octauò: inuenire est in continuo physico plura genera indiuisibilium, nempe puncta, lineas, & superficies: at in continuo metaphysico seu logico, vnum duntaxat genus indiuisibilis reperire est, videlicet gradum entis: perperam ergo arguitur ab vno continuo ad aliud, & partium infinita diuisibilitas, vnus propria, nullo iure exigitur in alio, alioqui etiam quoad indiuisibilia proportionem essent habitura. Respondeo in primis, vt paulo supra, cum scilicet ens sese extendat ad infinitas rei formalitates, easque omnes transcendat, quamuis vnum & vnus generis indiuisibile sit, illud tamen innumerabile instar esse: quare plura indiuisibilium genera, aut generum plures partes subiectiuas in continuo metaphysico neutiquam exigi debere: omnibus enim, vt dictum est, vnum ens æquipollet; quæ ratio in continuo physico non militat. Rursum secundo respondeo: tametsi in continuo permanenti sint tria indiuisibilium genera, nimirum aut versus longitudinem latitudinem & profunditatem, aut versus solam latitudinem & profunditatem, aut denique versus vnâ profunditatem, sed non versus duas priores dimensiones: ceterum in continuo successiuo, tempore scilicet identidem labenti, triplex illud genus indiuisibilis locum non habet, solumque reperitur indiuisibile quaquâ versus siue instans aut punctum momentaneum atque caducum: quidni ergo ad huius continui instar, illud, de quo modo lis est, vnico duntaxat indiuisibilis genere contentum sit? quidni ab vno ad aliud argui possit? Denique tertio respondeo, in continuo etiam permanenti simpliciter & absolute loquendo, non esse nisi vnum indiuisibilis genus, videlicet punctum, quod diuidi nequit versus vllam dimensionem: cetera enim duntaxat secundum quid indiuisibilia esse, vt optimè animaduertit P. Fonseca lib. 5. metaphys. cap. 13. quæst. 6. sect. 5. ab eius medio: quo quidem tota vis argumenti euanesceat.

Argumentaberis nonò: continuum omne, siue permanens siue successiuum, clauditur vtrinque duobus indiuisibilibus, altero inchoatiuo, altero terminatiuo: similiter ergo continuum metaphysicum quod ascendendo sursum clauditur indiuisibili quodam, videlicet ente, debet etiam claudi descendendos deorsum alio indiuisibili, nimirum vltima differentia, Petreitate, v.g. hæc ergo debet esse indiuisibilis & simplex, adeoque ab ente, aut nullo modo transcendetur, aut certe omnino & adæquatè: quorum tamen neutrum admittimus, aut iuxta doctrinam huius capitis possumus. Respondeo in primis, saltem de potentia Dei extraordinaria, possibile esse continuum terminatum ex vna parte & non alia, veluti si hinc linea aliqua orientem versus sine fine diuinitus protendatur: hac ergo in imagine rete continuum metaphysicum, quo de agimus. Respondeo secundo, ens, quæ est eius cum vnitæ coniuñcta plurium æquiualeantia superius explicata, vtrinque terminare posse ratione nostra continuum metaphysicum: Prædicatum enim est extremum propositionis, siue autem sursum ascendas, siue deorsum descendas, ens potest quidditatiuè prædicari de quantis formalitate: nec magis ex vero dici valet perfectas & quæuis in ea differentia latens est formaliter ens; quam, Petreitas & quiddid in ea later rationem entis formaliter obtrinet. Porro illud fateor, haud esse exigendam proportionem, penitus & quoad omnia, inter vtrumque continuum, & nos infinitate physica magis vt exemplo, quam vt argumento per se duntaxat efficaci, vlos esse ad metaphysicam explicandam: quocirca non est, cur indiuisibilia physica tantopere nobis obiciantur.

Decimò argumentaberis, totius huius sententiæ veluti basim esse infinitudinem formalitatum, dempta qua, vel iuxta nos, nulla prorsus sit transcendentia inadæquata, & indeterminata: at eiusmodi formalitates infinitas rationi parum consentaneas videri, & vix aut ne vix quidem à nobis percipi. Respondeo, quæ sunt nostræ mentis angustia, eam ad primum infinitatis aspectum dubiam hætere, & haud ita facile illam capere: ceterum rebus penitus introspèctis, & non supra sensum modo, sed etiam supra seipsam vi considerationis erectam, & circumfusa contrariarum apprehensionum nebula (affulgentis discursus radio) liberam & solutam, eiusmodi eam infinitudini non adgræssum præstare: quantum autem non pauca aduersus illam argumenta sint, cuncta tamen à nobis supra lib. 2. tract. 4. proposita, atque exposita esse.

Argumentaberis vndecimò: nihil est in entis differentia, quod non sit formaliter ens: ergo se tota est formaliter ens: perperam ergo dicitur ea ens, & semper aliquid aliud. Sed respondeo, sicut quoduis instans æternitatis est aliquando præteritum, & tamen collectio omnium, siue tota æternitas, nunquam præteribit, nunquam est finem habitura, ita similiter esto quæuis formalitas ac differentia entis sit formaliter ens, quæ tamen est earum infinitas, omnes simul ac totaliter sumptas neutiquam esse quidditatiuè ens, sed potius illud & aliud quidpiam insuper. Quod si essent numero finita, alia esset earum ratio & à singulis ad omnes collectiue & adæquatè sumptas valeat argumentum: quo pacto, ex eo quod qualibet determinata pars, earum quas numero finitas habet circulus diurnus, sit tandem præteritura, rectè totius diei finem colligas.

Duodecimò argumentaberis, seu magis argumentum præcedens non longè aliter instaurabis: differentia, penes quamuis formalitatem sui, est quidditatiuè


tiue & essentialiter ens; ergo est se tota & adaequata ens, ergo si est ens & aliquid aliud ab ente, erit vtrique ens, & aliud à seipsa tota, quo tamen nihil dici potest magis ridiculum. Nego vero primam consequentiam; quoniam, ut iamiam doctum, differentia entis neunquam est se tota ens, tamen illud sit vixitum sumpta: itaque erit aliud ab ente, non tamen propterea aliud à seipsa tota.

138 Demum argumentari potes, in hunc modum. Ens habet infinitatem quandam, vi cuius transcendit, tum omnes res, tum singularum qualeslibet formalitates sine termino, ut vel nos haud semel statuimus: atqui vnum infinitum exhaucit aliud illique adaequatè & ex integro respondet, atque commentum est: qua ratione multitudo infinita lapidum, verbi gratia, si esset à Deo simul producta, infinitum spatium adaequatè occuparet, & quo pacto, Deus modò infinitam interapedinem & extensionem, atque imaginatum illud veluti chaos longe lateque fufum, & carceribus circumfcribi nescium adaequat tamen: quantumvis ergo differentia entis, verbi gratia perfectas, aliue in ea lateris, sit infinita, & innumerabiles formalitates habeat, nihilominus eam ens, quae similiter est eius infinitudo, adaequatè transcendet, & omnino non per vbitatem, sed per identitatem occupabit. Quocirca licet eiusmodi differentia, postquam est ab ente transcensia atque perfectissima vna illius formalitas, huic addat aliam nouam, & rursus isti aliam, & sic in infinitum, atque cuiusdam hydrae more semper crescat ac denuo repulset, quin vlla vi etiam Herculeae possit vnquam exauriri: ceterum nil ei prodest hac vel Lernae monstro monstrosior additio infinita: eam etenim ens infinitudini suae vi adaequat, nec à transcendentia sua nil non etiam adaequatè complectente permittit vllatenus euadere.

139 Hoc argumentum magnam probabilitatis speciem habet, eoque vix aliud aduersus nostram sententiam aut difficilius, aut magis vendibile inueneris: ei tamen probabiliter responderi posse cenfeo, ens quidem habere infinitudinem formalitatum, quanta ei satis superque sit ad exhaustiendam funditus differentiam, & eam quantumlibet infinitam adaequatè transcendendam; ita tamen illam non transcendere, nec totam veluti penetrare, non defectu infinitatis, sed quod identitas eius cum illa sit suapte natura partialis & inadaequata, atque insufficiens adeò: animaduertendum enim est, ad eiusmodi transcendentiam totalem duo in ente requiri, videlicet amplitudinem, qua possit esse par innumeris differentiis formalitatibus, necnon etiam debitam cum illis vnionem & applicationem, non loci quidem sed identitatis: harum autem priorum conditionem enti adesse, sed tamen ei deesse posteriorem. Ita pars A, verbi gratia, continui infinitatem habet sufficientem, ad hoc ut partem B, itidem infinitam penetraret, si nimirum ei totaliter sumpta esset immediata, ac sufficienti ratione praesens: at quoniam aliter se res habet, eique parti tantum adest inadaequatè, nullaque eius assignari potest particula, cui toti sit omnino immediata, & qua dari nequeat alia minor, cui sit magis immediata, idcirco eam non penetrat, nec localiter transcendit.

140 Atque hac de transcendentia, quae quia sponte sua difficillima est, & ut aiunt numero Platonis obsecruior, huius tractatus longitudinem satis excusat: quemadmodum enim per se clara, nimis ea si contrahas, obscuritatem induunt, & tenebras nubesque colligunt, ut compendio tergitur ille in arte poetica brevis esse laboro obscurus fio: ita è contrario tenebri-

cosa, nisi diutius eis insistas, numquam poterunt satis declarari, numquam disiectis fugatisque nubibus solem aspicere.



TRACTATUS II.

An ens sit uniuocum vel analogum respectu suorum inferiorum & etiam oppositorum.

CAPVT I.

Ens est uniuocum respectu substantia & accidentis, creatoris, & creaturarum.

TA SCOTUS in primum distinct. 3. quaest. 1. & 3. & in Tertium distinct. 8. quaest. 2. Iycherus in 13. distinct. 3. quaest. 4. Fauentinus Theoremate 95. Fuente quaest. 12. log. difficul. 1. artic. 3. num. 5. & 6. Ioan. Canonicus 1. phys. q. 3. Bonetus 1. metaph. cap. 6. Trombeta cap. 4. metaph. cap. 2. Smilingus, Cauellus & communiter ceteri Scotistae Item Ochamus, & Gabriel. in 1. distinct. 2. quaest. 4. & Gregorius dist. 8. quaest. 3. Maior eadem dist. quaest. 1. ac ceteri nominales Rursus ex nostris Arriaga disput. 9. log. sect. 4. Sancta Crusanus in sua log. part. 2. disp. 5. quaest. 8. sect. 5. & Ouiedus tom. 2. in metaph. controu. 1. punct. 8. Suadet autem haec opinio: quoniam uniuocum est, cuius nomen est commune, & ratio nomini accommodata omnino eadem: at nomen entis est commune Deo, & creaturae, substantiae, & accidenti, & ratio nomini accommodata est omnino eadem: ergo ens est uniuocum: vnitas & communitas nominis entis est in propatulo: vnitas autem, seu identitas rationis ei subiectae & accommodatae nomini probatur hunc in modum: à substantia & accidenti, creatore, & creaturis abstrahitur vna ratio entis, at ea ratio nomini entis respondet: ergo ratio respondens nomini entis est omnino vna, & eadem: minor est perspicua, quia sicut vox animal non homini, aut belluae immediate accommodatur, sed potius cuidam ab eis abstractae rationi, ita vox ens solam rationem abstractam à substantia & accidenti, Deo, & creaturis, ubi semel ea possibilis sit immediate significat.

Cardo totius argumenti est maior, qua paulo supra statutum est ens posse à suis inferioribus abstrahi. Ea vero probatur primo: quoniam substantia est simpliciter ens, & accidens est simpliciter ens: igitur est ab utroque abstrahibilis vna ratio entis, similiter, atque ab homine & bellua vna ratio animalis, quia tam homo quam bellua est simpliciter animal: antecedens probatur: quoniam ens proprie, & vere est, quod habet aptitudinem ad esse seu existere, quae significatio entis omnibus receptissima & sanctissima est at ea aptitudo non solum substantiae, verum etiam accidenti simpliciter congruit: ergo, &c. minor haec suadet, actus essendi, seu existendi non solum substantiae, verum etiam accidenti proprie & simpliciter conuenit: ergo & aptitudo: nusquam enim, & nunquam non valet argumentum ab actu ad potentiam affirmatiue: proximum antecedens videtur manifestum: tum quia quidquid producit effectum aliquem, ac virtutem suam exercet, id en-